DE

IVSTINIANI INSTITVTIONVM

COMPOSITIONE.

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS GRVPE

GOTTINGENSIS.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXXIIII.

Darmstadtii typis G. Otto.

Ab iureconsultorum Romanorum scriptis philologi Germani nescio qua commoti causa tantum non omnes sese abstinuerint, nec praeter Carolum Lachmannum, Ioannem Vahlenum, Rudolphum Schoellium, et qui difficiliores quaestiones ad iureconsultos Romanos pertinentes tractaverunt Theodorum Mommsenum atque Guilelmum Studemundum novi qui in parte illa litterarum Romanarum foede neglecta grammatica studia posuerint. Atqui philologicis quae κατ' ἐξοχήν dicuntur studiis vulgo omnia ea adnumerantur, quae ad singulas artes et disciplinas a Graecis et Romanis cultas spectant, veluti ad mathematicam, astronomicam, musicam, physicam, mineralogicam, botanicam, zoologicam, medicinam etc., quamquam Romani in his disciplinis omnibus parum profecerunt; non adnumerantur vel vix adnumerantur studia in iureconsultorum Romanorum libris collocata. Attamen constat noviciis populis profuisse populum Romanum cum aliis rebus tum tribus potissimum his: exemplo rerum a populo Romano gestarum et institutionum rei publicae, iuris scientia a iurisprudentibus Romanis promota atque enarrata, Graecorum ingenii fructibus Latina ac faciliore ad intellegendum forma condonatis et propagatis. Adde quod dictio iureconsultorum Romanorum, cuius fundamenta a priscis magistratibus iacta erant, quam C. Iulii Caesaris, C. Licinii Calvi, Octaviani Augusti aequales ad auream provexerunt puritatem, per longam saeculorum seriem atque usque ad ipsius imperatoris Iustiniani tempora fere incorrupta, si cum provincialium scriptorum barbare balbutientium libris comparaveris, remansit.

Haec omnia quamquam nota sunt vel potius nota esse debebant, tamen Conradus Bursian in libro, quem anno 1883 de historia philologiae in Germania cultae composuit, egregia quae a paucis illis philologis Germanis in iureconsultis Romanis collocata sunt studia vel silentio praeteriit vel brevius quam par fuit commemoravit. Quo silentio quamquam ego, qui tiro sum inter philologos, deterrebar vel mirum in modum commovebar, tamen cum Guilelmus Studemund in scholis de Gaio et de litterarum Romanarum historia Argentorati habitis identidem nos monuerit, ut sermonis iureconsultorum Romanorum proprietatibus indagandis operam navaremus[1], ab eo quod olim cepi consilio desistere nolo, ut desertum illum disciplinae philologicae campum colam. Nam quo constantius quandam sermonis puritatem servaverunt etiam Iustiniani aequales iureconsulti Romani, eo certior spes est fore ut diligenter observata cuiusque iureconsulti dictionis proprietate non solum loci in codicibus librorum iuridici argumenti culpa librariorum depravati corrigantur, sed etiam ea fragmenta iuridici argumenti, quae aut falso aut nulli auctori in codicibus tribuuntur, certo alicui auctori vindicari possint. Quod quam vere dixerim, in ea quae iam sequitur commentatione demonstrare conabor, in qua ingeniosa fretus Philippi Eduardi Huschkii coniectura ostendam, diligenter observata sermonis proprietate corpus Iustinianarum Institutionum, quod quattuor libros complectitur, ita ex duabus partibus consutum esse, ut ab altero iureconsulto (qui Dorotheus Berytensis fuisse videtur) libri I et II nec non IV[1] titulus ultimus,[2] ab altero (qui Theophilus Constantinopolitanus fuisse videtur) libri III et IV (praeter ultimum titulum) conscriberentur. Usus autem sum in In-

[1] cfr. etiam Studemundum in Woelfflinii 'Archiv für lat. Lexikographie' vol. I pag. 114 sq. — Ibidem (pag. 82—92) de Gai dicendi usu atque elocutione breviter nonnulla sed scite exposuit nuper Guilelmus Kalb 'ueber die Latinitaet des Juristen Gaius'.

[2] Ubicumque in contextu huius quae sequitur commentationis de libro IV agitur, intelleguntur tituli I—XVII libri IV excepto uno titulo XVIII i. e. ultimo, cuius de compositione in fine separatim mihi dicendum erit.

stitutionum contextu citando ea editione, quam egregia, ut solet, cura absolvit Paulus Krueger eorum qui hodie vivunt iureconsultorum *ὁ φιλολογώτατος* (Berolini 1867).

§ 1.

Ph. Eduardus Huschke in praefatione editionis Institutionum Iustiniani Lipsiae anno 1868 publici iuris factae movet quaestionem a nemine usque ad illud tempus motam, quemadmodum in Institutionum libris componendis tresviri illi inter se versati sint, quibus hoc negotium datum esse prooemium *In Nomine Domini etc.* docet. Quam quaestionem vir ille acerrimo ut inter omnes constat ingenii acumine praeditus ita solvit, ut dicat, si ex ipsa re divinare liceat, in promptu fore responsionem: deliberatis ante communi consilio et constitutis perficiendi operis legibus, cum Tribonianus tantum 'ad totius operis gubernationem electus' esset, alteros duos ipsam rem ita aggressos esse, ut uterque ex praescriptis iam a Iustiniano quattuor libris binos componeret et deinde totum opus Triboniano arbitro praelectum perficeretur; neque coniectura tantum sed etiam certis argumentis ex ipsis libris petitis rem ita gestam esse assequi licere. Praeter cetera argumenta quae ad sententiam suam confirmandam affert — de quibus partim in fine huius commentationis partim alio tempore [1] agemus — orationis Iustinianae proprietatum ratione habita voces aliquot et locutiones eligit, quae leguntur in prioribus libris, a posterioribus autem alienae sunt.

---

[1] Huschke cum diversos auctores statuendos esse professus sit, statim adiungit priores duos libros (I. II) a Dorotheo Berytensi antecessore, posteriores (III. IV) a Theophilo Constantinopolitano conceptos esse, quam ad opinionem confirmandam cum alia tum paraphrasin Graecam cum libris Iustinianis comparatam magni momenti esse docet. Temporis angustiis me impediri doleo, quominus de hac re nunc statim agam. Quam quaestionem tractandam et si fieri poterit solvendam ad aliud tempus differo; nunc id unum mihi propositum est, ut perquiram, num diversi utriusque partis Institutionum latine conscriptarum auctores fuerint. Ubicumque autem ex usu esse mihi videbatur, graecae illius paraphrasis, quae Theophilo antecessori vulgo tribuitur, verba adscripsi.

Sed carptim breviterque hanc rem ita perstringit, ut largiorem atque ex parte intactam materiam aliis reservet perlustrandam. Nihil enim profert nisi nonnullos 'soloecismos', quos a posterioribus (III. IV) libris alienos esse contendit. Quorum primus est:

1) *medevimus* II 20, 27: *constitutio . . . per quam et huic parti medevimus.* Qui composuit librum tertium, eodem modo quo boni scriptores scripsit III 2, 3[b]: *non tamen eos in plenum causae mederi invenimus.* Idem autem verbum legimus etiam II 7, 4: *hoc quasi invidiae plenum per nostram constitutionem mederi necessarium duximus.* Vides igitur eum, qui priorem Institutionum partem composuerit, non abhorruisse quidem ab infinitivo verbi deponentis, coniunxisse autem eum cum accusativo. Num fortasse illo loco constructio accusativi cum infinitivo passivi statui possit, ut vir ille putandus sit unam formam *medere* in usu habuisse idque verbum et dativo et accusativo pronominis demonstrativi in neutro genere positi adiunxisse, id iniudicatum relinquo, quia alia exempla desunt. Quod quidem ita sumi posse nescio an concedas, cum videas posterioris partis compositorem (III 6, 9: *necessarium duximus . . . etiam eos praesenti libro inscribi*) *necessarium duximus* coniunxisse cum accusativo cum infinitivo passivi.

2) *praestavit:* II 1, 25; 7, 2; 19, 6. Recte Huschke hos tres locos collegit, praeter quos forma *praestavit* in Institutionibus non legitur; nam in libro III (14, 4 *praestiterit* | 24, 5 *praestiterit* | 26, 7 *praestiteris*) ubique altera forma obviam fit. Nec tamen alienam ab eo, qui priores libros composuit, formam *praestiti* fuisse docet II 19, 6 *praestitit hoc beneficium,* quo loco utraque forma vix duabus lineis altera ab altera secreta legitur. Atque cum exemplis ex constitutionibus Iustiniani, quae Codici insertae sunt, demonstretur utramque formam tum temporis in usu fuisse, efficitur non tam soloecismum esse statuendum quam eum, qui priores libros conscripserit, utramque formam secundum dicendi qui tum erat usum usurpavisse, formam autem *praestavi* in deliciis habuisse. Quos supra significavi Codicis locos nunc propono: II 55, 4, 3 *praestiterit iuramentum quod . .*

58, 1, pr. *nisi iuramentum praestaverit* || 58, 2, 3ᵃ *si iuramentum praestiterit* || V 27, 11, pr. *occasionem praestiterunt* || VI 22, 12 *immunitatem praestavit.*

3) *perinde . . . ac si* (pro *perinde ac*) I 12, 1; II 1, 33; 12, pr.; 23, 6 usurpatum extare Huschke scite animadvertit.[1] Id unum addo, II 23, 5 (= Gai inst. II 254) occurrere *perinde . . . atque* coniunctione *si* non addita.

4) Legitur II 5, 2: *Item is qui aedium usum habet hactenus iuris habere intellegitur, ut ipse tantum habitet* id est 'eo usque habere intellegitur potestatem' (*μέχρι τοσούτου νοεῖται παρρησίαν ἔχειν*). Hunc usum vocis *hactenus*, ut ei genetivus adiungatur, in posterioribus libris frustra quaeras. Uno quo in his extat loco III 6, 7 significat 'usque ad hos gradus'; singulis enim — sunt autem sex — cognationis gradibus enumeratis hoc modo pergit oratio: *hactenus ostendisse sufficiet, quemadmodum gradus cognationis numerentur* (*ἀρκεῖ μέχρι τούτων ἀποδεῖξαι, τίνα τρόπον οἱ τῆς συγγενείας ἀριθμοῦνται βαθμοί*).

6) Legitur I 7 *libertatibus impedientem* et *impediat libertati*, ubi *impedire* idem significat atque *obstare*, quod verbum, cum in prioribus libris desit, in posterioribus eodem sensu quo illud *impedire* usurpatur: III 1, 13 *si neque sui heredes liberi neque emancipati obstent* et IV 13, 9 *exceptiones quae semper agentibus obstant.* Verbum *impedire* autem cum dativo coniunctum in libris III et IV non legitur.

§ 2.

Haec exempla delibasse vel potius indicasse contentus erat Huschke, ut probaret etiam in usu loquendi utriusque partis differentiam statui posse (in praefatione pag. IX).

Nobis nunc inquirendum est, num Institutionum usus loquendi maiorem exemplorum copiam exhibeat, quibus quae Huschke statuit confirmentur. Certe nec sterilem nec ieiunam hanc materiam selegisse nobis videmur, in qua tironis vires experiremur.

---

[1] cfr. etiam Studemundum in praefatione ad Gai Institutionum editionem alteram (a. 1884) pag. XI.

Quae via ingredienda esset, Huschke in praefationis pagina VIII monstravit, cum diceret sponte intellegi maxime se in animo habere . . . *quae non tantum ex Gaio vel aliis antiquis iureconsultis translata sunt*[1], *sed, quia ius vetus exoleverat vel novo cesserat, ab ipsis compositoribus erant refingenda.* Illud *maxime* rectissime adiectum mihi videtur. Nam ei loci, quos compositores ex aliorum iureconsultorum libris hauserunt, minime neglegendi sunt, siquidem saepe, idque etiam tum cum talis necessitas, qualem Huschke commemorat, non urgueret, i. e. cum solus usus dicendi vel Gai vel alius cuiuslibet antiquioris scriptoris non congrueret cum eo, qui Iustiniani aetate Constantinopoli vigebat, singula vocabula vel mutata vel omissa vel aliter posita sunt. Atque confirmatur usus loquendi, qualis invenitur in locis non ex antiquioribus fontibus haustis, saepe iis mutationibus, quas loci ex illis hausti perpessi sunt.

Ab his mutationibus si recesseris, inter ea, quae ab aliis scripta in Institutionibus posita sunt, et ea, quae compositores Iustiniani conscripserunt, sedulo discernendum est. Quod si neglexeris, facile orationi compositorum obtrudas, quae ab iis prorsus aliena sint. Veluti si quis ignorans libri I tituli II principium ex Ulpiani libro I Institutionum (Dig. I 1, 1, 3) petitum esse, inde colligat compositorem anaphoram *(quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. hinc ... hinc ...)* in deliciis habuisse, cum

[1] Multa enim, quae hodie in Institutionibus Iustinianis extant, ad verbum usque congruunt cum iis libris librorumve partibus antiquiorum iureconsultorum, qui felici casu ad nostra usque tempora pervenerunt, veluti permulta ex Gai Institutionibus deprompta et ad verbum repetita esse in Institutionibus Iustiniani constat; nec secus multa in his Institutionibus passim occurrentia adeo consentiunt cum fragmentis aliorum iureconsultorum, quae in Digestis Iustiniani servata sunt, ut fieri non possit quin verba Institutionum Iustinianarum ex illis antiquioribus libris ipsis deprompta sint. Atque quoniam in Digestis non integri optimorum illorum iureconsultorum libri servati sunt sed tantum particulae eorum, sane consentaneum est non pauca ex iis Institutionum Iustiniani verbis, quae Dorotheo, Theophilo, Triboniano deberi videntur, re vera ex deperdito optimi alicuius iureconsulti antiquioris libro repetita esse.

praesertim in posterioribus libris tale quid non redeat, valde eum erraturum esse consentaneum est. Idem fiat, si quis, quod I 12, 8 legitur *praesente eo qui adoptatur et non contradicente nec non eo qui adoptat*, compositori prioris partis imputare velit; desumptum enim est e Cod. VIII 47, 11.

Ex iis igitur, quae detractis omnibus quae debentur antiquioribus scriptoribus restant, enucleandum nobis est, quae differentia inter priores et posteriores Institutionum libros intercedat. Quam cave speres prima statim specie deprehensum iri; immo qui obiter rem tractaverit, non dubito quin frustra in eo laboraturus sit, ut idonea indaget exempla. Reputandum enim est in Institutionibus componendis occupatos fuisse duos viros, qui cum simili modo educati isdemque doctrinae elementis eruditi eodem munere iurisprudentiam docendi fungerentur atque ad Institutiones componendas appellati eodem tempore eademque in urbe scriberent, necessario si non aequabiliter at tamen similiter orationem conformaverint. Itaque non tam in toto orationis habitu quam in usu singularum vocum locutionumque differentia, si qua est, indagari poterit.

§ 3.

Quam saepe priorum et posteriorum librorum usus dicendi adeo consentiat, ut obiter inspicientibus ab una eademque manu compositi esse videri possint, magna exemplorum, quae congessi, copia cum demonstrare possim, pauca proferam:

1. Redundantiae uterque compositor ita studet, ut ubi unum verbum vel una locutio sufficiat, pluribus utatur. Sic nonnumquam synonymis eadem res declaratur: I 1, 2 *levi ac simplici* ‖ *diligentissima atque exactissima* ‖ *multitudine ac varietate* (cfr. IV 13, 6 *ex multis variisque causis*) ‖ 2, 11 *firma atque immutabilia* ‖ 12, 5 *finis quidam et terminus* ‖ 5, 3 *una atque simplex libertas* ‖ II 7, 2 *plenissimum et perfectum robur* ‖ 12, 3 *litterati et eruditi* ‖ 25, pr. *magnas et longas peregrinationes*.

III 1, 14 *specialiter et singillatim* ‖ 6, 10 *satis obscurum atque nube plenum et undique confusum* ‖ 14, 3 *desidiae atque neglegentiae* ‖ IV 1, 3 *perferre ac deponere* ‖ 1, 11 *consilium dedit atque hortatus est* ‖ 4, 8 *pulsatum verberatumve* ‖ 6, 23 *hortatu consiliove* ‖ 15, 4 *plerumque et fere semper.*

2. Quanta cura in oratione varianda in omnibus libris posita sit, ne eadem vox saepius afferretur, ex his locis intellegitur: I 2, 2 *gentes humanae ... omni humano generi* ‖ 2 10 *memoriae mandarent ... custodirent* ‖ 5, 3 *quam promulgavimus inter nostras decisiones ... quae inter imperiales radiat sanctiones* ‖ 10, 3 *potest ... licet ... permittitur* ‖ 10, 7 *prohibere ... impedire* ‖ 20, 4 *iussu praesidis* ... 20, 5 *iussione praesidis* ‖ 22, 3 *finitur tutela* ... 22, 4 *omnis tutela perit* ‖ 25, 5 *vacationem* ..., 6 *excusationem* ‖ II 7, 3 *vocabatur ... appellabatur, cupientes ... studentes* ‖ 13, 6. 7 *praeterire ... omittere* ‖ 14, pr. *licebat ... permissum est* ‖ 20, 9 *detracto ... deducto* ‖ 14, 11 *omnibus parendum est ... cuilibet obtemperare satis est.*

III 1, 14 *antiquitas,* 15 *vetustas,* 16 *antiquitas* ‖ 3, 4 *pepererit ... enixae fuerint* ‖ 15, 6 *si ea ita non sunt ... si autem ita se habent* ‖ 19, 20 *stipulationem valere ... tenet obligatio ... stipulatio vires habebit ... valet stipulatio* ‖ IV 1, 15 *aestimationem solvere* ... 2, 1 *aestimationem praestare* ‖ 4, 6 *actio dabitur ... competit actio ... admittatur actio* ‖ 4, 10 *poena imponitur ... poena irrogatur.*

3. Nonnumquam enuntiati secundarii (vel potius constructionis 'accusativi cum infinitivo' quae dicitur), quod ex verbo dicendi vel sentiendi pendet, subiectum, si accusativo pronominis demonstrativi efficiendum erat, qui ex eis quae praecedunt facile suppleretur, omittitur.[1]

---

[1] I 11, 12 *Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, servi si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari* nominativus *servi*

II 23, 9 *secum deliberare debet is cui restituitur hereditas, an expediat sibi* | *restitui* || III 8, 2 *quaerebatur . . . num evanescat adsignatio? sed placuit* | *evanescere* || 14, 4 *placuit sufficere, quod* (aliquis) *diligentiam adhiberet; quam si praestiterit et . . . rem amiserit,* | *securum esse* || IV 6, 29 *tacitam ei dedimus hypothecam;* | *praeferri autem aliis creditoribus tunc censuimus, cum . . .*

4. Saepe plures enuntiationes relativae, quae ad idem substantivum in enuntiato primario positum pertinent, per asyndeton componuntur: I 2, 8 *ut essent qui iura publica interpretarentur, quibus a Caesare ius respondendi datum est, qui iurisconsulti appellantur* || II 1, 40 *vocantur autem stipendiaria et tributaria praedia, quae in provinciis sunt, inter quae nec non Italica praedia nulla differentia est* || Alia exempla habes II 7, 2; 7, 3; 8, 1; 8, 2.

III 6, 12 *exceptis fratre et sorore emancipatis, qui . . . vocantur, qui etsi capite deminuti sunt tamen praeferuntur.* Alia exempla extant III 11, 7; 13, 1; 19, 1; 19, 12; 29, 2; IV 4, pr.; 6, 3.

5. Non raro ubi particula *si* praefixa est duobus enuntiatis, quae coniunctione *et* vel similibus inter se coniuncta sunt, verbum prioris enuntiati subiunctivum modum, alterius indicativum praebet, vel rarius contra:

a) I 23, 5 *si idoneus non sit . . . nec tamen fraudulenter negotia administrat* || II 11, 5 *si datus fuerit miles vel filius . . . emancipatus est* || 18, 5 *si egerit et superatus est* || III 1, 7 *si . . . exheredatus fuerit et . . . institutus est* || 25, 6 *si . . . contracta societas sit et finis negotio impositus est* || IV 13, 2 *si quis . . . pecuniam stipulatus fuerit neque numeravit* || 6, 4 *si res tradita fuerit . . . necdum eius rei dominus effectus est.*

b) II 23, 12 *si . . . commisit . . et res possit manifestari* || III 29, 4 *si . . . inter se consenserunt . . . deinde placuerit inter eos.*

---

attractione quadam, ut verbo parum Latino utar, ex secundario enuntiato *(servos . . . ex hoc ipso posse liberari)* in enuntiationem condicionalem adscitus est.

6. Antecedenti enuntiato condicionali, cuius in initio legitur *si quidem*, *si quis*, *si*, opponitur aliud enuntiatum eiusdem naturae per *quodsi*, veluti I 24, 1 *si quidem adscriptum fuerit . . . quodsi non fuerit adscriptum* ‖ IV 17, 5 *si quidem iste fundus commode regionibus divisionem recipiat. Quodsi commode dividi non possit* . . . ‖ Alia exempla leguntur I 21, pr.; 23, 6; II 1, 25; 20, 14; 20, 20; 22, 3; 23, 12; III 2, 6; 19, 3, 4; 23, 3ª; 25, 1; 26, 8; IV 4, 5; 17, 3.

7. Nonnumquam in omnibus quattuor libris post *ut* consecutivum indicativus ponitur, cum inter *ut* et verbum finitum complures aliae enuntiationes interpositae extent, veluti:

I 6, 7 *eveniebat ut, qui . . ., licet . . ., tamen si . . . poterat* ‖ 25, 18 *in tantum ut, licet . . ., qui . . ., adiecit se . . . dare, tamen* (acc. c. inf.) *rescripserunt* ‖ II 17, 7 *usque adeo ut, si . . . coeperit et . . . aut quia . . . id non perfecisset, . . . cautum est* ‖ 16, 5 *adeo ut, si . . ., valebit* ‖ III 1, 16 *ita tamen ut, quemadmodum . . . statuit . . . similiter nos* (acc. c. inf.) *iubemus* ‖ 2, 7 *id est ut, quamvis . . ., qui . . . aut spreverit . . . nihilominus . . . admittuntur* ‖ IV 1, 14 *adeo quidem ut, quamvis . . ., nihilominus competit actio furti.*

Atque consulto ab utroque compositore ita scribi inde intellegitur, quod IV 15, 5 *id est ut, quamvis . . ., tamen si non . . ., sed . . . retinere possessionem videtur*, qui locus in Gai Institutionum libro IV 153 legitur ibique subiunctivo modo *(videamur)* insignis est, modus indicativus substitutus est. Conf. etiam III 7, 2 *(cautum est . . . ut . . . . debebatur)* cum Gai inst. III 42 *(cautum est . . . . ut . . . debeatur).* [Post *ut* consecutivum sequitur infinitivus II 1, 39 *conveniens est ut . . . esse*; conf. Lachmann ad Gai. III 160 n. 42.]

§ 4.

Sed ex his et similibus minime sequitur unum virum omnes quattuor libros composuisse. Quod si ita esset, cum non paucae ex iis vocibus locutionibusque, quarum usus idem est in quattuor Institutionum libris, in illis con-

stitutionibus Codicis Iustiniani redeant, quae eodem fere quo Institutiones tempore compositae sunt, eodem iure has quoque eidem qui Institutionum libros confecisset compositori attribuere liceret. Quod non fieri posse nemo est quin videat. Immo sic iudicandum videtur: Utriusque Institutionum partis usum loquendi saepe per omnes libros eundem esse concedendum est. Quae portio — est autem maior — quia non diversa est a communi usu scribendi, quem familiarem fuisse illius temporis iureconsultis eae constitutiones testes extant, quae promulgatae sunt Iustiniano imperatore, repraesentat tamquam ea quae uterque compositor tempori suo debet; quae autem restat minor portio, in qua alter ab altero dissentit, ea continet quae utriusque propria sunt.

Nunc singula cum singulis comparemus, ut appareat, quae differentia intercedat inter librorum I. II et librorum III. IV usum loquendi.

§ 5.
Substantiva.

1. *Arbitratu* II 18, 3: *licet non fuerit adiectum boni viri arbitratu debere eam repleri* (cfr. *arbitratus, arbitratur* II 15, 4). Quamquam *boni viri arbitratu* tamquam sollemni more dictum videtur esse.

arbitrio III 15, 2: *totus dies arbitrio solventis tribui debet* || 24, 1: *si alieno arbitrio pretium permissum fuerit* || eadem §: *si alieno arbitrio merces permissa fuerit.*

2. *Atrocitate* I 16, 1: *qui servi poenae efficiuntur atrocitate sententiae* (διὰ τὸ τραχὺ τῆς κατ' αὐτῶν ἐξενεχθείσης ἀποφάσεως).

In libris III et IV autem legitur: III 2, 3ª *paullatim asperitatem iuris civilis corrigentes* (τὴν ὑπὸ τῶν σοφῶν εἰσενεχθεῖσαν τραχύτητα) || IV 8, 7 *huiusmodi asperitatem . . . respuendam esse* (τὴν τοιαύτην ἐξέβαλε τραχύτητα).

3. *Facultates* (= res familiaris sive patrimonium) IV 14, 4 *facultatibus lapsus . . . debitor.* Praeterea *facultas* (= potestas) legitur III 8, 2: *datur autem haec adsignandi facultas ei, qui . . ., ut . . . ei . . . liceat.*

In priore Institutionum parte significat rem familiarem sive patrimonium: I 20, 4 *si non sint magnae pupilli facultates* || I 20, 5 *si facultas pupilli vel adulti usque ad D solidos valeat.* Potestati autem notandae inservit in priore Institutionum parte vocabulum *licentia:* II 9, 1 *ut esset eis licentia ... donare vel vendere* || II 9, 2 *partem tertiam retinere ... licentiam habebat* || II 11, 6 *cuius constitutionis tenore perspecto licentia est nihil eorum quae ad praefatum ius pertinent ignorare* || II 10, 10 *licentiam concedimus ... testimonia praestare* || II 20, 23 *data est licentia ... optare* (*δέδωκε γὰρ παρρησίαν*). Vox *licentia* in libris III et IV non legitur, cuius vice ibi usurpatur III 9, 5 *nostra constitutio ... manumissionem facere dedit* (*δέδωκε τὸ ἐλευθεροῦν*) || III 12, pr. *creditoribus datur ... bona possidere* (*δέδοται τοῖς κρεδίτωρσι παρρησία*).

4. Quaestionis ad ius pertinentis expositio in libro II voce *tractatus* exprimitur: II 20, 23 *et diligentiore tractatu habito et hoc in nostra constitutione additum est.* Eadem vi fungitur id vocabulum apud compositorem librorum III et IV, qui praeterea usurpat *sermo*, quo prior Institutionum pars caret, veluti III 7, 3 *constitutio quam ... compendioso tractatu habito composuimus* || III 9, 5 *eam ... compendioso sermone supervacuam ostendimus.*

5. *Species* opponitur *generi* ita, ut illo vocabulo id significetur, quod minus late pateat, hoc id quod latius pateat: I 2, 4 *plebs autem a populo eo differt quo species a genere* || II 1, 27 *si diversae materiae sint et ob id propria species facta sit* || III 5, 4 *consanguinitatis ius species est adgnationis* || III 9, 9 *plures species successionum*, cfr. III 11, 7; 13, 2; 23, 2. Idem vocabulum significat 'singularem casum' in sola priore Institutionum parte: II 9, 2 *hocque a nobis dispositum est et in ea specie, ubi parens ... licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat* || II 20, 27 *sed nec huiusmodi species penitus est sine iusta emendatione derelicta* || II 23, 6 *utroque senatusconsulto in hac specie concurrente.* Compensatur in libris III et IV voce *casus*, veluti IV 7, 2ª *eadem aequitatis ratio etiam eo casu interveniebat.*

6. *Status* condicionem significat I 5, 3 *in meliorem*

statum reducere et *in pristinum statum reduxit,* II 8, pr. *in meliorem statum deduximus,* II 20, 23 *in meliorem statum reformatum est.* In locum talium enuntiationum substituitur IV 2, 1 *melius ... constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut ..:*

7. Pro *furti vitium,* quod extat II 6, 4 *quippe ea res in furti vitium non ceciderit* (cfr. *testamenti ius vitiatur* II 17, 1), legitur IV 1, 12 *res in furtivam causam cadit.*

§ 6.
Adiectiva.

1. *Firmus* is est, qui infringi non potest: I 2, 11 *naturalia iura ... semper firma ... permanent*; cfr. II 10, 14 *testamentum firmum constitutum* || 21 *ademptio legatorum ... firma est.* Vno quo in posterioribus libris occurrit loco eandem vim habet quam 'robustus' sive 'corpore validus': IV 3, 8 *cum alius firmior retinere mulas potuisset* (ὑφ' ἑτέρου μᾶλλον εὐσθενοῦς).

2. Adiectivi *latus* (i. e. 'amplus' ac tamquam 'voluminosus'), quod in libris I et II ne semel quidem legitur, comparativus in deliciis est librorum III et IV compositori. Itaque I 10, 11 ieiuna ac simplex fit Digestorum, quae hoc looo primum citantur, mentio: *quas in libris digestorum seu pandectarum ex veteri iure collectarum enumerari permisimus*; copiosior illa est, qua constanter atque ad taedium usque utuntur libri III et IV: III 12, pr. *quod ex latioribus digestorum libris perfectius apparebit* || IV 6, 2 *in latioribus digestorum libris* || IV 6, 5 *ex latiore digestorum seu pandectarum volumine* || 6, 37 *ex latioribus digestorum libris* || 13, 6 *ex latioribus digestorum seu pandectarum libris* || 14, 3 *ex latiore digestorum volumine.* Conf. etiam infra § 14 sub finem.

3. Legimus quidem II 9, 2 *ex anterioribus constitutionibus* || II 11, 6 *anteriores leges*; quo cum usu congruit III 2, 3* *iurisprudentia iunior ... anterior.*

Sed qui III 9, 12 et 23, 2 vocantur *anteriores principes* (οἱ πάλαι βασιλεῖς), iidem audiunt II 7, 2 *cum retro*

principum (*οἱ μὲν γὰρ πάλαι βεβασιλευκότες*) *dispositiones . . . volebant.*

4. Nec secus II 8, pr. *ne sexus muliebris fragilitas in perniciem . . . converteretur.*

III 3, pr. *qui per feminini sexus necessitudinem sibi iunguntur* || 5, 2 *per feminini sexus personas* [haec locutio quasi sollemnis fuisse videtur apud iureconsultos] || 6, 11 *quod . . . ex feminino sexu propagatus est.*

5. In libro II vocabulo *mobilis* opponi solet *immobilis,* in libris III et IV autem *res soli*; veluti: II 6, pr. *ut . . . rem, si mobilis erat, anno ubique, si immobilis, biennio tantum in Italico solo usucapiat*, et post nonnullas lineas interpositas continuatur: *ut res quidem mobiles per triennium usucapiantur, immobiles vero per longi temporis possessionem.*

Contra in posteriore Institutionum parte: III 19, pr. *omnis res in stipulationem deduci potest, sive illa mobilis sive soli sit* || IV 2, 1 *in mobilibus rebus . . . in invasionibus, quae circa res soli fiunt* || 15, 4ª *ut ille vincat et in re soli et in re mobili.* Quamquam etiam II 8, pr. legitur *in soli . . . rebus.*

§ 7.
Adverbia.

1. *Aperte (apertius, apertissime)* legitur: III 2, 5 *si plures sint gradus adgnatorum, aperte lex XII tabularum proximum vocat* || 29, 3ª *apertissime definivit* || 29, 3ª *apertius cognoscere* || IV 11, 6 *quae omnia apertius* (*σαφέστερον*) . . . *in ipsis rerum documentis apparent* || 6, 28 *constitutio aperte* (*σαφῶς*) . . . *disposuit* || 14, 3 *apertius cognoscere.*

In libris I et II *aperte* frustra quaeras; eius locum occupat *evidenter*, quod quidem in libris III et IV nusquam occurrit: II 20, 27 *quod evidenter* (*σαφέστατα*) *ex ipsius constitutionis lectione clarescit* || 8, 2 *sed etiam hoc evidentissima ratione statutum est in constitutione, quam . . .* (*σαφεστάτῃ* [*διατάξει*]).

2. *Facile* adverbium adiectivumve habemus: *α*) III 1, 14 *adoptione facile per emancipationem soluta*, cfr. III 9, 9; IV 6, 33. *β*) III 5, 1 *quam facile est ... colligere*, cfr. IV 11, pr.; 14, 3 || IV 6, 33[4] *promissori facilius sit illud solvere.*

Huius vocabuli, quod in duobis prioribus libris semel tantum legitur (II 20, 3), vice fungitur: ad *α*) I 1, 2 *ad quod ... sine magno labore ... perduci potuisset.* ad *β*) II 6, 7 *quod autem ad eas res, quae solo continentur, expeditius procedit.*

3. Ad vim comparativi gradus[1] augendam usus est compositor posterioris Institutionum partis adverbio, quod est *longe*, pro *multo*[2]: III 1, 12: *longe minus* || 23, 3 *longe minor* || III 6, 7 *longe facilius* || IV 3, 9 *longe pluris* || IV 15, 4 *longe commodius.*

In priore parte eodem pacto *multo* usurpatur: II 10, 11: *et multo magis his qui ...* || 20, 34 *et multo magis libertatem.* Praeterea legitur II 20, 31 *longe magis.*

4. Adverbium *proprie*[3] (= 'vere', 'revera') in libris III et IV quodam studio poni videtur, cfr. III 2, 2; 2, 5; 2, 6; 6, 4; 14, 2; 24, 1; 27, pr. 1. 3. 5; IV 3, 1; 6, 7; 15, 1. In prioribus libris non modo non legitur, sed ne compensatur quidem alio adverbio. Nonnulla autem ex prioribus libris congessi exempla, in quibus quo loco futurum fuisse, ut posterioris partis compositor, si illa scripsisset, *proprie* inculcaret existimem, hoc signo _|_ indicavi:

I 11, 10 *feminae quoque* _|_ *adoptare non possunt, quia ..; sed ex indulgentia*

III 27, pr. *obligationes, quae non proprie quidem ex contractu nasci intelle-*

---

[1] Vide quae de ea re exposuit Woelfflin in libro 'Lateinische und romanische Komparation' pag. 37 sqq. et quae idem nuper addidit in 'Archiv für lateinische Lexikographie' vol. I pag 93 sqq.

[2] Semel IV 11, pr. *multo magis* occurrit; est autem ex Gai inst. IV 90 *(multoque magis debes satisdare mihi)* depromptum.

[3] IV 7, pr. et 7 *proprie* significat 'singulariter': *nam si quid in his proprie observatur, separatim ostendimus* || *illud proprie servatur in eorum persona, quod ...*

principis . . . adoptare possunt.

10, 9 *si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit, haec non* ⊥ *est quidem privigna tua; sed Iulianus huiusmodi nuptiis abstinere debere ait.*

guntur, sed tamen, quia —, quasi ex contractu nasci videntur.

25, pr. *filii autem superstites tantum ad tutelae vel curae muneris excusationem prosunt; defuncti* ⊥ *non prosunt. sed si in bello amissi sunt, quaesitum est, an prosint. Et constat . . .*

IV 15, 1 *sunt tamen qui putant* ***proprie*** *interdicta ea vocari quae . . .; sed tamen optinuit . . .*

II 5, 5 *Sed si cui habitatio legata sive aliquo modo constituta sit,* ⊥ *neque usus videtur neque usus fructus, sed quasi proprium aliquod ius.*

III 24, 1 *non* ***proprie*** *locatio et conductio contrahi intellegitur, sed eo nomine praescriptis verbis actio datur.*

5. *ulterius* his locis legitur: III 6, 7 *ex his palam est intellegere, quemadmodum* ***ulterius*** *quoque gradus numerare debemus* ‖ III 2, 3 *sorores* ***ulterius*** *non capiunt* ‖ IV 1, 3 *immo* ***ulterius*** *furtum manifestum extendendum est* ‖ IV 6, 21 ***ulterius*** *autem nulla actio extenditur.*

Non idem, attamen aliquatenus simile quid atque *ulterius*, significat *latius* II 11, 6: *quod nostra constitutio* ***latius*** *extendens permisit omnibus*; in libris III et IV adverbium *latius* ne semel quidem deprehenditur.[1]

6. *vulgo* (i. e. non iustis nuptiis contractis) in utraque parte quamquam diversis verbis adpositis in usu est: III 3, 7 ***vulgo quaesitus*** *filius* ‖ 4, 3 *liberos, qui* ***vulgo quaesiti*** *sunt* ‖ 5, 4 ***vulgo quaesitos*** ‖ I 4, pr. *quoniam* ***vulgo conceptus*** *est.*

---

[1] Praepositio *ultra* per omnes quattuor libros eodem modo usurpatur: I 25, 16; II 18, 1; III 21; IV 3, 9.

Contra *vulgo* (i. e. 'apud plurimos' uel 'fere semper') librorum III et IV proprium est: III 24, 2 *sicut vulgo quaerebatur, an* . . || 29, 2 *stipulatio quae vulgo Aquiliana appellatur* || IV 9, 1 *qua vulgo iter fit* || 12, 2 *quod ante vulgo dicebatur*. Quam vocem in ceteris libris consulto evitatam esse inde videtur colligi posse, quod in locis e Gai institutionibus depromptis. ubi *vulgo* extabat, id omissum est, veluti II 9, 5 *hoc est quod dicitur* (Gai inst. II 95 *hoc est quod vulgo dicitur*) || 6, 3 *quod autem dictum est* (Gai inst. II 49 *quod ergo vulgo dicitur*).

7. *initio* (i. e. primo tempore) extat et II 12, pr. et III 19, 2: *initio tantum militantibus datum est . . . postea vero . . .* || *licet initio . . . . si postea.*

Idem adverbium in libro II (II 9, 6) *qua in re necessarium est, initio de ordinandis testamentis exponere* significat 'priore expositionis loco' (postquam haec proxime praecesserunt: *et prius est ut de his dispiciamus, quae . . . obveniunt*), nusquam in libris III et IV (cfr. e. g. III 13, 2 *prius est ut de his, quae ex contractu sunt, dispiciamus*). Haec quoque conferas exempla: II 22, 3 *initio quinta, deinde quarta detrahi debet.* III 9, 3 *cum de testamentis prius locutus est, ad intestatos transitum fecit* || 16 pr. *nam si prius Titio spoponderit, deinde . . .*

Addo, quibus aliis particulis singula enumerationis membra inter se conectantur: I 1, 2 *primo . . . post deinde* . . . || 20. 3 *primo . . . deinde* || II 22, 3 *ante . . . tunc deinde* || 22, 3 *ante . . . deinde* || III 1, 13 *ante . . . deinde* || IV 6, 33 — . . . *post deinde.* Desunt igitur posteriori Institutionum parti: *primo*, *initio*, *tunc deinde*; priori: *prius.*

8. *Iam* adverbium bis legitur in prioribus libris (I 5, 3 *iam ex multis temporibus in desuetudinem abiit* || II 25, pr. *post quae tempora . . . iam nemini dubium erat, quin*); contra sexies in libro III, quinquies in libro IV, ibique praeter unum locum (III 23 pr. *nisi iam arrarum nomine aliquid fuerit datum*) ita usurpatur, ut respiciat ea quae in antecedentibus paragraphis scripta leguntur, veluti III 19, 13 *ut iam dictum est,* cfr. III 1, 15; 6, 11 (bis); 29, 4; IV 6, 19; 6, 39; 11, 5; 13, 2; 17, 4. Eodem modo in sola posteriore Institutio-

num parte in usu est *supra*[1], veluti III 1, 15 *de quibus supra* (i. e. eadem §.) *diximus*; adde III 1, 2; 6, 11; 9, pr.; 19, 2; 19, 19; 24, 1; 27, 6; 28, 3; IV 6, 23; 6, 33ᵉ; 12, 1.

Ex contrario in libris I et II *supra* adeo evitatur, ut etiam tum, ubi Gaius *supra* scripsit, omittatur: I 10, 12

---

[1] Semel (II 13, pr.), qui locus ex Gai inst. II 115 desumptus est, *supra* compositorem effugit: *quam supra exposuimus*. Alia est condicio adverbii *supra* bis (I 20, 3 *supra scriptis legibus* || II 11 pr. *supra dicta diligens observatio*) cum perfecti passivi participio coniuncti. Nam ut participia *praefatus* et *praedictus* (II 6 pr.; 6, 14; 11, 6; 16, 2 — II 6, 2; 10, 2), ita *supra* et cum *scriptus* et cum *dictus* fere in unius verbi corpus adeo coaluit, ut rectius continua scriptura *suprascriptis* et *supradicta* exhibenda esse censeam. Ac memini Studemundum in scholis Argentorati de palaeographia latina habitis identidem nos monere, ut diligentius quam olim factum esset observaremus, quas in disiungendis iungendisve vocabulis compositis normas per varia saecula secuti essent amanuenses non solum in inscriptionibus, sed etiam in eis codicibus antiquis, in quibus diastoles signo ad adiuvandam lectionem usi sunt correctores. Exemplo autem utebatur Studemundus cum aliorum codicum (veluti codicis Parisini latini nr. 8084, quo continentur litteris maiusculis exarata Prudentii carmina verbis haud paucis a correctore non post priorem saeculi p. Chr. n. sexti partem ope diastoles disiunctis; cf. de hoc codice Ulixem Robert in *Mélanges Graux*, Parisiis 1884, pag. 405—413, qui codicis Parisini imagines publici iuris factas enumeravit pag. 407), tum apographi Codicis Iustiniani fragmentorum Veronensium saeculo p. Chr. n. sexto vel septimo exaratorum a Paulo Kruegero anno 1874 publici iuris facti, de quo Studemundus, siquidem recte eius verba excepi, haec fere docuit in scholis: „Summo opere dolendum est, quod Kruegerus „frequentes illas vocabulorum disiunctiones ope diastoles significatas „non plene enotavit, quibus corrector codicis capituli Veronensis LXII „ad adiuvandam graecorum ut videtur hominum lectionem usus est. „Kruegerus enim, cum sero, quanti momenti haec diastoles signa essent, „perspexisset, plerumque eorum hominum doctorum (Friderici Bluhmii „et M. S. Mayeri iureconsultorum), qui ante Kruegerum apographum „fragmentorum Veronensium parum accurate confecerant, fide stetit in „his minutiis apographo repraesentandis: conf. vocabulorum composi„torum, quae in codice illo Veronensi aut constanter aut saepe aut „raro aut numquam disiuncta sunt a correctore, indicem a P. Kruegero „(pag. V seq.) compositum. Teste illo indice Kruegeriano:

„I. modo tamquam singula vocabula modo tamquam bina signi„ficata sunt e. g. haec: *supradictus* et *supra dictus*; *iusiurandum* (conf.

adversus ea quae diximus || II 1, 11 *sicut diximus* || 1, 32 *secundum ea quae diximus* || 10, 10 *ut dictum est* || 13, 3 *neque ita ut diximus* (Gai inst. II 135 *ut supra diximus*). Aliquotiens alia adverbia ponuntur, ut I 12, 8 *adoptionem plenissimam esse antea diximus* || II 12, pr. *exceptis his quos antea enumeravimus* || 11, pr. *quam . . . proxime exposuimus.*

9. *Tardius* (i. e. posteriore tempore) legitur IV 6, 33[b] *qui tardius solvit quam solvere deberet*; *tarde* autem

„ex Charisii arte excerpta 553, 37; Priscian. II 177, 18; 178, 17; 180, „14; 440, 5; 441, 11) et *iure iurando*; *senatus consultum* et *senatus*-„*consultum* (conf. Diomed. 309, 35; Donati art. 377, 13; [Sergii] ex-„planat. 543, 10; Cledonii art. 44, 3; Pompeii commentum 179, 15; „180, 22; Priscian. I 183, 5; 441, 12; II 175, 9; Augustini regul. 506, „32); *huiusmodi*, *huiuscemodi* (conf. Priscian. I 179, 13; 183, 2; 440, 10; „596, 5. 6; 564, 3; II 22, 5; 113, 11; 175, 10) et (raro) *huius modi*; „*quare* (conf. Priscian. I 563, 12) et (raro) *qua re*; *nihilo minus* et „*nihilominus*; *dumtaxat* (conf. Priscian. II 78, 25) et *dum taxat*; *quamvis* „(conf. e. g. Charis. 227, 26; Diomed. 393, 28) et (raro) *quam vis*; „*sicut* et *sic ut* vel *sic uti*; *etiam si* et *etiamsi*; *etsi* (conf. e. g. Charis. 229, 3) „et (rarius) *et si*; *dummodo* (conf. e. g. Charis. 227, 27; Diomed. 339, „34) et *dum modo*; *si qua*, *si quis*, *si quid* (conf. Priscian. I 183, 14) et „(raro) *siquid* (conf. Cledonii art. 52, 25; Priscian. I 179, 16; II 24, „24); *quidquid* (conf. Cledonii art. 52, 8; Pompeii commentum 207, 17) „et (raro) *quid quid*; *etenim* (conf. Pseudo-Priscian. de accentibus 528, „33) et (rarius) *et enim*; *adhuc* (conf. Priscian. I 590, 24; [Probi „appendic. 199, 17]) et (raro) *ad huc*;

„II. tamquam bina vocabula intellecta sunt e. g. haec: *pater* „*familias* (at conf. Diomed. 309, 33; Cledonii art. 43, 21; Probi de „nomine excerpta 211, 27; Pompeii commentum 179, 23; Consentii art. „350, 9; [Sergii] explanat. 543, 15; Priscian. I 179, 12; 183, 10); *iam* „*dudum* (conf. Priscian. II 479, 17. 26); *tam quam* (conf. Charis. 225, „31); *quod si*; *sibi met* (at conf. Priscian. I 591, 21);

„III. tamquam singula vocabula intellecta sunt e. g. haec: „*suprascriptus*; *fideicommissum* (conf. Cledonii art. 43, 13; Consentii „art. 350, 1); *respublica* (conf. Priscian. I 177, 18; 180, 13; 440, 3); „*eiusmodi* (conf. Priscian. I 183, 3; 596, 14); *satisfacere* (conf. Priscian. „I 440, 21; 179, 14); *tantummodo*; *inprimis*; *necne* (conf. Priscian. II „101, 10; 102, 9; Probi appendic. 199, 14); *postea* et *praeterea* (conf. „Priscian. II 65, 25).

„Ceterum conf. Cledonii art. 43, 12: *figura conposita* .... „*maxime a iuris peritis inventa est, qui duo verba composuerunt vel* „*nomina: fideicommissum, iurequiritium*".

II 12, 3 de iis usurpatur, qui gravius audiunt: *qui tarde exaudit* (Theoph. τοῦ βραδέως ἀκούοντος), item II 12, 3 *qui tarde loquitur* (τὸν βραδέως λαλοῦντα). Contra I 1, 2 illa notio exprimitur adverbio *serius*: *serius ad id perducemus.*

10. *Tantummodo* per omnes quattuor libros in usu est, ita tamen, ut in libris I et II non ponatur nisi post id verbum, ad quod spectat; in ceteris et ante et post, veluti I 24, 4 *hi tantummodo qui* ... || II 8, pr. *in soli tantummodo rebus* || 11, 6 *in his tantummodo peculiis* || 19, 6 *in militibus tantummodo hoc extendit.*

III 1, 14 *in hoc tantummodo casu* || 10, 2 *nihil aliud nisi tantummodo usus fructus* || IV 1, 8 *quibusdam furti tantummodo* (sc. *actionem praestantibus*). Alia habes exempla III 5, 1; 12, pr.; 27, 7; IV 8, 7.

Ad numeralium autem vim augendam ab altero compositore *tantummodo*, ab altero *tantum* adhibetur: II 14, 5 *si unum tantum quis* ... *scripserit.*

III 2, 4 *unus tantummodo gradus* || 9, 6 *ad quintum tantummodo gradum* || 9, 7 *sex tantummodo bonorum possessiones.*

11. Ab adverbii 'omnino' notione haud procul abest in libris I et II *per omnia*, veluti: I 12, 1 *per omnia pristinum statum recipiunt* || II 7, 1 *ad exemplum legatorum redacta sunt per omnia* (διὰ πάντων) || 7, 1 *ut per omnia fere legatis connumeretur* (κατὰ πάντα).

In posterioribus libris idem frustra quaesivi; in quibus eadem vi praedita esse videntur *in totum* et *in plenum*: III 2, 7 *quod iterum praetores* ... *corrigentes non in totum sine adminiculo relinquebant* || 2, 3[b] *non tamen eos in plenum causae mederi invenimus* (φησὶ δὲ αὐτοὺς μὴ τελείως τῆς κατὰ τῶν θηλειῶν ἀδικίας εὑρεῖν ἴασιν).

12. *Ad exemplum* legitur: II 7, 2 *ad exemplum venditionis* || 11, 6 *quod ad exemplum castrensis peculii* || 16, 1 *ad exemplum* (Theoph. πρὸς μίμησιν) *pupillaris substitutionis certas personas substituere. Exemplo* legitur I 25 pr. *a tutela possunt excusari exemplo ceterorum munerum* (πρὸς μίμησιν τῶν λοιπῶν λειτουργημάτων). Simili modo II 10, 10 *ad imitationem pristini familiae emptoris* usur-

patum est, cfr. I 11, 4 apud Theophilum qui dicitur *ἐπειδὴ πρὸς μίμησιν τῆς φύσεως ἐπινενόηται*, ubi in textu Iustiniano habemus *adoptio naturam imitatur.*

In posterioribus libris illarum vocum vice fungitur *ad similitudinem*: III 4, 1 *ut ad similitudinem filiorum filiarumque vocentur* (Theoph. *κατὰ μίμησιν υἱοῦ καὶ θυγατρός*) || 6, 10 *ad similitudinem eorum qui ex iustis nuptiis procreati sunt* (*πρὸς μίμησιν τῶν ἐξ ἐννόμων τεχθέντων γάμων*) || 10, 2 *eandem dispositionem coartavimus ad similitudinem naturalium parentum* (*τῷ προσπορισμῷ τῶν φυσικῶν γονέων τοῦτον ἀφομοιώσας*, cfr. II 7, 1 *hae mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactae sunt* = *αὗται δὲ αἱ* mortis causa *δωρεαὶ ἐοίκασι ληγάτῳ*).

§ 8.
Coniunctiones.

1. *Ceterum* deest in prioribus libris, extat in posterioribus: III 2, 3 *ceterum inter masculos quidem . . . hereditas . . . capitur* || IV 7, 5 *ceterum dubium non est, quin* || 9, pr. *ceterum si genitalis sit feritas, cessat* || 9, 1 *ceterum sciendum est.*

Contra II 7, 2 dicitur *sciendum tamen est.* [conf. etiam hos, quorum significatio aliquantum distat, locos: *sed sciendum est* I 14, 1 et *sciendum autem est* I 24, 2].

2. *Donec* coniunctio temporalis III 23, pr. et IV 12, pr. cum indicativo coniuncta est: III 23, pr. *donec* (= 'dum') *deest* || IV 12, pr. *donec . . dederunt* (quo loco coniunctivum ponere non licebat). Eadem II 17, pr. cum subiunctivo ita conectitur, ut in enuntiato primario addatur *usque eo*: *testamentum iure factum usque eo valet, donec rumpatur irritumve fiat.*

3. *Si modo* initio condicionum in duobus posterioribus libris novies legitur: III 1, 10; 19, 5; 27, 1; IV 3, 3; 15, 4; 15, 4[a]; 6, 17. Atque cum III 14, 2 legatur *si modo poterit*, ubi Digesta habent simplex *si* (XXXXIV 7, 1, 4) eademque § *si modo . . . intervenerit* occurrat, ubi in Di-

gestorum l. l. *si* reperitur, efficitur quodam studio in illa Institutionum parte *si modo* poni.

In libris I et II *si modo* non amplius bis occurrit: I 6, 1 et II 24, 2. Contra in isdem bis extat *dummodo,* quod in libris III et IV non legitur: II 19, 7 *dummodo sciat* ‖ I 26, 2 *dummodo meminerimus;* Digesta (XXVI 10, 1) *modo* praebent; *modo* autem in sola priore Institutionum parte significat 'nunc', veluti II 5, 6 *modo videamus* (in libris III et IV hunc usum omnino non deprehendas).

Dum tamen (= 'dummodo', cfr. Kalb l. c. p. 88) in uno primo libro legitur: 6, 5 *dum tamen intra sex menses uxor ducatur* ‖ 10, pr. *dum tamen filii familias et consensum habeant parentum.*

4. *Nisi* bis (III 3, pr.; 26, 11) excidit posteriorum librorum compositoris calamo; contra *nisi si* idem ter scripsit: III 17, 3; 26, 11; 25, 5 (quo loco Digesta XVII 2, 65, 9 *nisi* habent). In libris I et II autem *nisi* frequentius est, cfr. I 6, 5; II 3, 3 (bis); 14, 5; 16, 5; *nisi si* in his adeo non reperitur, ut II 19, 5, qui locus ex Gai inst. II 163 ductus est, *nisi minor sit* locum occupaverit Gaiani *nisi si.*

5. Quod Graeci (cfr. Theophili qui dicitur paraphr. graec.) ἐπὶ τοσοῦτον ὅτι dicunt, in libris I et II exprimitur modo per *adeo ut* modo per *in tantum ut*; in libris III et IV autem tantum per *adeo ut*:

adeo ut: I 25, 13; II 16, 5. *in tantum . . . ut:* I 25, 18; 10 pr.; II 20, 36.	*adeo . . . ut:* III 3, pr.; 25, 2; 26, 6; 26, 8.

Adeo ut igitur quamquam idem significat per omnes quattuor libros, tamen coniunctio harum vocularum non eadem est in utraque Institutionum parte. Namque in prioribus libris verba *adeo ut* tam arte inter se coniuncta sunt, ut nullum aliud vocabulum inculcetur; in posterioribus autem nusquam non intercedunt alia vocabula:

I 25, 13 *prohibentur ad tutelam . . . aspirare, adeo ut nec excusatione opus fiat* ‖ II 16, 5 *pupillare testamentum pars et sequela est paterni testamenti, adeo ut . . . ne filii quidem* (testamentum) *valebit.*

III 3, pr. *eos* .. *adeo expellebat, ut* ... ‖ 25, 2 *adeo contra Q. Mucii sententiam optinuit, ut* ... ‖ 26, 6 *adeo haec ita sunt, ut* ... ‖ 26, 8 *adeo quidem, ut* .. *placuerit inutiliter te acturum.*

6. *Prout* legitur III 9, 8 *prout res exigit* .. ‖ 12, pr. *prout eis utile visum fuerit ea disponere* (Theoph. καθ' ὃν ἂν συνίδοιεν συμφέρειν αὐτοῖς τρόπον) ‖ IV 7, 5ª *prout ergo expedit* ... Huius vocis loco usurpatum deprehendimus II 11, 3 *quod in castris fecerint testamentum non communi iure, sed quomodo voluerint* (καθ' ὃν ἠβουλήθη διέθετο τρόπον) ‖ I 6, 7 *ei quemadmodum alias res ita et servos suos in ultima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus* (ὥσπερ τὰ ἄλλα πράγματα διατυποῖ ὁ νέος διατιθέμενος ὡς βούλεται, οὕτω καὶ τοὺς ἰδίους οἰκέτας ...).

7. In universum constat utrumque compositorem id observasse discrimen inter *ita* et *sic* particulas, ut illa ad id quod sequitur spectet, haec id respiciat quod antecessit. Sed in comparationibus minus inter se consentiunt; nam legimus

1) III 24, 2 *sicut vulgo quaerebatur* ... *ita quaeri solebat.* cfr. 27, 1; 29, 1; IV 3, 14; 6, 33;
contra I 12, 5 *sicut in domibus finem quendam faciunt, sic et* ..
2) III 1, 14 *integra omnia iura ita servari atque si in patris naturalis potestate permansisset. (ita — atque si* fere idem valet ac *perinde — ac si)* ‖ 24, 3 *hoc ita optinere ac si naturalis esset contractus.*
contra II 10, 7 *ut sic habeatur atque si ut oportet factum esset.*
3) III 1, 15 *quemadmodum lex XII tabularum* .... *vocat, ita et principalis dispositio* ... *vocat*, cfr. 3, 5; 3, 6.
contra II 7, 1 *ut* ... *sic procedat, quemadmodum* (at I 6, 7 et II 7, 3 *quemadmodum* ... *ita* legitur).

8. *Ecce* particulae hic est usus in Institutionibus:

1) *ut ecce si:* I 21, pr.; II 1, 25; 4, 1; III 26, 8; IV 6, 33ᵈ; 6, 36.
2) *ut ecce:* I 10, 6; III 24, 3.
3) *ecce* et *ecce enim* in una posteriore Institutionum

parte usurpantur: illud IV 6, 3, hoc III 10, 1; IV 14, 4; 16, pr.

9. *Non solum . . . sed etiam* (vel *sed et* vel *sed*) in omnibus libris aequo modo in usu est; item *non tantum . . . sed etiam (et)*. Quod autem bis in altero membro legitur *verum etiam* (II 4, 2; 18, 1), id adeo ab eo, qui posteriores libros composuit, respuitur, ut, ubi apud antiquiorem scriptorem, cuius verba exscribit, illud usurpatum invenit, cum particulis *sed etiam* permutet: IV 4, 2 *non solum . . . sed etiam*, cfr. Gai inst. III 221: . . . *verum etiam*.

10. *Potius — quam* frustra quaeras in prioribus libris, in posterioribus autem ter usurpatur: III 27, 6 *ut distrahat potius negotium quam contrahat*, cfr. IV 1, 14; 15, 4. Eodem modo in usu est *magis — quam* III 27, 6 *magis ut supra diximus ex distractu quam ex contractu*, cfr. III 6, 9. In libris I et II hoc unum in usu habetur: I 16, 5 *quibus autem dignitas magis quam status permutatur* || II 23, 7 *nobis in legibus magis simplicitas quam difficultas placet.* Bis in libro II (1, 25) *potius* (sine *quam*) post *an* invenitur: *utrum is qui fecerit an ille potius qui . . .* || *placuit . . . si ea species ad materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiae dominus fuerat, si non possit reduci, eum potius intellegi dominum qui fecerit.*

11. *Namque* particula rarius in libris I et II (ter), saepius in libris III et IV (duodecies) scripta est: I 21, pr.; II 4, 2; 5, 1; III 1, 11; 6, 7; 13, 1; 14, 2; IV 6, 1; 6, 4; 6, 39; 7, 3; 11, pr.; 15, 4, nec interest utrum proxima vox a littera vocali incipiat an a consonante. Quantopere *namque* compositori posteriorum librorum in deliciis fuerit, inde intellegitur, quod etiam iis locis, quibus Gaius *enim* dederat, pro *enim* substituit *namque:* IV 8, 2 *namque erat iniquum* (Gai inst. IV 75 *erat enim iniquum*) || 8, 6 *namque inter dominum et eum, qui* . . (Gai inst. IV 78 *nulla enim omnino inter me et eum, qui*).

12. *Utpote*, qua particula participii, quod enuntiationis secundariae vice fungitur, vis causalis augetur, bis participio

III 1, 14 *exheredatum facere utpote nullo vinculo copulatum* (Theoph. οἷα μηδενὶ φυσικῷ δεσμῷ κρατού-

μενον αὐτόν) ‖ 9, 4 *bonorum possessiones admisimus utpote necessarias constitutas* (Theoph. *οἷα οὔσας ἀναγκαίας*),

semel participio cum ablativo absoluto iunctum

III 2, 7 *ex cognatorum ordine eos vocabant utpote adgnationis iure eis recluso* (Theoph. *διὰ τὸ ἀσθενῆσαι τὰ ἀδνατικὰ δίκαια*)

in sola posteriore Institutionum parte legitur. In priore autem, quibus locis simile quid pronuntiandum est, pro coartata illa loquendi ratione enuntiatum secundarium causale cum verbo finito ex coniunctionibus *quia* vel *cum* (*scilicet* particula addita) suspenso ponitur:

I 10, 3 *eius vero mulieris, quam pater tuus adoptavit, filiam non videris impediri uxorem ducere, quia neque naturali neque civili iure tibi coniungitur.*	III 1, 14 *non necessitas patri adoptivo imponitur vel heredem eum instituere vel exheredatum facere utpote nullo naturali vinculo copulatum* (i. e. quia nullo naturali vinculo ei copulatur.)
II 8, 2 *sed ex diverso pupilli vel pupillae solvere sine tutore auctore non possunt, quia id quod solvunt, non fit accipientis, cum scilicet*[1] *nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa est.*	III 2, 7 *ex cognatorum ordine eos vocabant utpote adgnationis iure eis recluso* (i. e. cum scilicet adgnationis ius eis reclusum est.)

13. *Sane* (i. e. 'profecto' vel 'quidem') ab libris I et II prorsus alienum[2] posteriori librorum compositori adeo placuit, ut quater decies in libris III et IV deprehendatur, veluti:

[1] Coniunctio *cum* particula *scilicet* aucta, ut idem significet quod apud alios scriptores *utpote cum* (cfr. Dig. I 1, 4; 4, 1, pr.), praeter illum unum locum in quattuor Institutionum libris non legitur.

[2] Illud unum *sane*, quod legitur I 10, 2, cum tota paragrapho ex Gai inst. lib. I 61 originem duxit. Particulae *sane* quidem usus Gaio frequens est: I 61, 179, 192 II 60, 103, 104, 123, 146, 177 III 98, 183, 194, 197, 212 IV 31, 74*, 131, 134.

III 26, 8 *quae sententia sane benignior est* ‖ IV 6, 4 *sed quia sane durum erat* ‖ 7, 5[a] *sed sane huic modo tributoria expedit agere.* Cetera exempla haec sunt: III 1, 9; 2, 3; 14, 2; 23, 3[a] (bis); 25, 2; 27, 1; IV 6, 2; 6, 33; 14, 4; 17, 6.

14. Restat ut addam, quid in utraque Institutionum parte adhibitum sit ad illud exprimendum, quod in aurea latinitate 'ne ... quidem' particulis indicatur.

1) Antiquum illud *ne ... quidem* non plus semel (II 16, 5) servatum est: *si patris testamentum non valeat, ne filii quidem valebit.*

2) *ne quidem* legitur et III 3, pr. *adeo expellebat, ut ne quidem inter matrem et filium ... hereditatis capiendae ius daret* (cfr. Gai inst. III 93 *ut ne quidem in Graecum sermonem ... transferri possit*) et I 16, 6 ... *ius quoque cognationis perit ... et ne quidem, si manumissus fuerit, recipit cognationem.* Sane igitur mirum est, quod I 11, 10 *(feminae quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in potestate sua habent)* is qui librum I composuit *nec* scripsit pro Gaiano *ne quidem* (Gai I 104 *quia ne quidem naturales liberos in potestate habent*).

3) *nec ... quidem* = 'ne ... quidem'[1]: III 5, 4 *eadem ratione nec inter se quidem possunt videri consanguinei esse,* cfr. 6, 11; 19, 10. I 25, 7: *propter adversam valetudinem, propter quam nec suis quidem negotiis interesse potest*; alia exempla habes II 20, 25; 20, 36 (cfr. Gai inst. II 236, 288).

4) *et ne ... quidem* legitur II 4, 3: *constat ... extingui usum fructum et ne areae quidem usum fructum deberi.* Contra *ac ne ... quidem*: III 15, 2 *ac ne eo quidem ipso die peti potest* ‖ IV 3, 3 *ac ne is quidem hac lege tenetur* (cfr. Gai inst. I 140 II 106, 242 III 119[a], 139 IV 172).

---

[1] III 1, 13 *si neque sui heredes liberi neque emancipati obstent neque adgnatus quidem ullus interveniat* quid *neque .. quidem* significet, docet Theophili qui dicitur paraphrasis: *ἡνίκα μὴ κατέλειψα μήτε σούους κληρονόμους μήτε ἐμαγκιπάτους, μηδὲ μὴν ὕπεστί μοί τις ἀδνάτος.*

Ac ne = 'ac ne . . . quidem' in usu non est nisi III 19, 2 *ac ne statim ab initio talis stipulatio valebit* || 19, 13 *ac ne is stipulari poterat* || 22, 1 *ac ne dari quidquam necesse est.*

§ 9.

Verba.

Primum ea verba enumerabo, quae in omnibus quattuor libris inveniuntur, ita tamen, ut:

1) aut aliam significationem in priore habeant parte, aliam in posteriore;
2) aut, cum ad eandem notionem reddendam duo verba praesto sint, in altera Institutionum parte saepius illud usurpetur, in altera hoc;
3) aut certae quaedam formae, quae in altera parte adhibentur, in altera evitentur.

Ad 1): a. Verbum *audire* (= auribus percipere) legitur II 23, 12 *quod nihil tale a testatore audivit,* eandemque vim habet *exaudire* II 12, 3 *de eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tarde exaudit.* Contra in posteriore Institutionum parte officium illud praestatur uno verbo *audire:* III 19, 7 *qui promittit, verba stipulantis audire debet* (= Gai inst. III 105, qui dedit *exaudire*); etenim *exaudire* in libro III significat 'intellegere', cfr. III 18, 2 *praetorias autem stipulationes sic exaudiri oportet, ut* . . . (Pomponius Dig. XXXXV 1, 5, pr. habet *audiri*). *Audiri* de eo qui ius suum impetrat usurpatum proprium est libri III; deprehendas enim 11, pr. *(si hi, qui libertatem acceperunt . . ., velint bona sibi addici . . ., audiuntur)* et 11, 6 *(quid ergo, si . . ., idcirco velint addici sibi bona, an audiendi sunt? et magis est, ut audiri debeant, etsi . . .).*

b. Quod *discedere* dicitur II 1, 48 *nec longe discedere videntur ab his, quae* . . . (Theoph. *παραπλήσια δὲ τούτοις ἐστὶ κἀκεῖνα τὰ πράγματα*), idem in posteriore Institutionum parte exprimitur verbo *distare*, quod in priore deest parte: III 14, 2 *sed is ab eo . . . longe distat* || 19, 10 *infans et qui infanti proximus est non multum a furioso*

distant. Discedere in libro III desistendi vim continet: 29, 4 *placuerit inter eos, ut discederetur ab emptione.*

c. Pro *necessitas imponitur*, quod et II 23, 7 et III 1, 14 aequo modo in usu est, is qui priores libros composuit II 7, 2 maluit dicere *ut ... traditionis necessitas incumbat donatori.* Idem autem verbum *incumbere* cum dativo constructum in posteriore Institutionum parte (IV 1, 14) significat 'sich halten an': *expedit ei pignori potius incumbere quam in personam agere* (cfr. Dig. XXXXVII 2, 56 *pignori suo incumbere*) = Theoph. *συμφέρει γὰρ αὐτῷ μᾶλλον κρατεῖν τὸ ἐνέχυρον καὶ περιποιεῖν ἑαυτῷ τὸ ἀσφαλὲς ἐντεῦθεν ἤ ...*

d. Removendi notionem cum alia verba exprimunt, quae omnibus quattuor libris communia sunt, tum III 9, 6 legitur *omni scrupulositate resoluta.* Idem verbum invenitur quidem II 1, 25, sed aliud significat, scilicet 'in partes, ex quibus coaluit, aliquid denuo solvere vel redigere': *ne mulsum quidem ad vinum et mel resolvi potest.* Ex contrario utitur ad removendi notionem exprimendam compositor prioris partis verbo *resecare*, quod verbum in posteriore parte non legitur: I 20, 5 *huiusmodi difficultates hominum resecantes.*

Sollemnem loquendi usum secuntur Institutiones, cum habeant IV 6, 5 *rescissa usucapione* et IV 6, 6 *rescissa traditione.* In libro II 1, 29 *rescindere* significat 'demoliri': *ne aedificia rescindi necesse sit.* Verbum *dissolvere*, quod quidem in libris III et IV frustra quaesivi, extat locis his: I 10, 7 *dissoluta adfinitate* ‖ 10, 12 *dissoluto tali coitu* ‖ 11, 2 *iura potestatis naturalis patris minime dissolvuntur.*

Sunt etiam alia verba, in quibus eadem vis inest, quibus sola posterior Institutionum pars utitur: III 1, 16 *nostra autem constitutione ... toti iuri eius derogatum est* ‖ 9, 6 *utramque bonorum possessionem ... penitus vacuavimus* ‖ 12, pr. *bonorum venditiones expiraverunt.* Atque per omnes quattuor libros in usu sunt: α) *solvere:* I 12, 8; 16, 6; III 1, 14. β) *perire:* I 16, 6; 22, 4 (ter); II 20, 23; III 4, 2. γ) *tollere:* I 7; 22, 4; II 20, 2; III 9, 5; 7, 4; 10, 1; 15, 1; 29, pr.; 29, 2; IV 6, 29; 6, 33[d]. δ) *extinguere:*

I 26, 8; II 4, 2; 20, 14; 20, 17; II 20, 21; III 19, 2. ε) *evanescere:* II 16, 8; 20, 33; III 8, 2.

Ad 2. *Constat* legitur saepe in priore Intitutionum parte: I 2, 6; 10, 2; 16, 5; II 4, 3; 14, 6; 20, 11; 20, 29; 20, 30; 20, 32; raro in libris III et IV: III 29, 3ª et IV 3, 9. Contra *manifestum est* invenitur quinquies in libris III et IV: III 5, 4; 25, 7; 27, 1; IV 1, 4; 4, 1; semel in priore Institutionum parte: II 7, 4 *manifestissimum est.*

Ad 3. a. E vita qui decedit, modo *mori* dicitur, modo *decedere.* En habes:

α) *decedere:* Lib. I: *decesserit:* 11, 3; 12, 5; 15, 2 (bis) ‖ Lib. II: *decesserit:* 1, 36; 7, 1; 11, 3; 12, pr.; 12, 1; 12, 5; 20, 8 | *decesserint:* 12, pr. | *decedere:* 14, 5 | *decederet:* 25, pr. | *decessisset:* 20, 32 ‖ Lib. III: *decesserint:* 9, pr.; 7, 3 (bis) | *decesserit:* 2, 6; 2, 7; 8, pr.; 19, 25 | *decessisset:* 7, 2 | *decessisse:* 2, 6. Praeterea participium *decedens:* I 11, 3 et II 25, 1.

β) *mori:* Lib. I: *morientibus:* tit. 7 | *mortuo:* tit. 19 ‖ Lib. II: *moriturus:* 23, 10 | *mortuo:* 12 pr.; 14, 1 ‖ Lib. III: *morientis:* 6, 11 | *morientem:* 7, 4 | *moriente:* 2, 6 | *mortuo:* 24, 6 | *mortui:* 1, 16 | *moriar* et *morieris:* 19, 13 | *moreretur:* 1, 10; 1, 12 | *morietur:* 15, 4 | *mortuus sit:* 23, 3.

Futtiles facile videantur prima specie eiusmodi quaestiunculae, quibus de minutiis agitur; attamen paeniteret me, si rem utilem et aliis profuturam omisissem; nam inde sequitur in libris I et II ad formas verbi finiti, quod dicunt, efficiendas *decedere* usurpari, participium praesentis a verbis *mori* et *decedere* derivari, reliqua participia a verbo *mori*; contra in libris III et IV formas verbi finiti et a verbo *decedere* et a verbo *mori* derivari, ad participia autem formanda unum verbum *mori* in usu esse.

b. Verbo *optinere* cum accusativo coniuncto habendi vel possidendi vel nanciscendi notio exprimitur aequabiliter in utraque Institutionum parte: I 2, 7 *optinent auctoritatem* ‖ II 10, 10 *imaginem optinet* ‖ 20, 9 *locum optinet* ‖ III 6, 11 *gradum optinent* ‖ 6, 12 *gradum optinet* ‖ IV 6, 2 *actoris partes optinet* ‖ 6, 20 *causam optinere.* Idem, ubi intransitivo modo usurpatur, significat 'valere': II 7, 1

utrum donationis an legati instar eam o p t i n e r e *oporteret* [intransitivum enim usum hic agnoverim] || 10, 13 *secundum* o p t i n e n t e m *observationem* || III 1, 16 *quam constitutionem nostram* o p t i n e r e . . . *sancimus*; alia habes exempla: III 1, 2ᵃ; 2, 7; 2, 8; 23, pr.; 24, 3; IV 2, 1; 11, 1; 11, 7.

Item ubi agitur de diversis iureconsultorum opinionibus, quarum cum olim aeque magna fuisset auctoritas, postea unius auctoritas ceteras superavit, perfectum *optinuit* in posterioribus libris in usu est: III 25, 2 *et adeo contra Q. Mucii sententiam* o p t i n u i t (Theoph. ἐκράτησεν . . . ἡ γνώμη) || 26, 6 *sed* o p t i n u i t *Sabini sententia* || IV 15, 1 *sed tamen* o p t i n u i t *omnia interdicta appellari* (Theoph. ἀλλ' ὅμως ἤρεσε πάντα προσαγορεύεσθαι *interdicta*). Hoc perfectum (*optinuit*) a prioribus libris alienum est; idem dicunt hoc modo: I 25 pr. *si in bello amissi sunt, quaesitum est, an prosint; et* c o n s t a t (Theoph. καὶ ἤ ρ ε σ ε) *eos solos prodesse qui* . . . || II 1, 34 *quidam putant* . . . *aliis videtur* . . . *sed* n o b i s v i d e t u r *melius esse* . . .

c. Verbum *referre* (i. e. narrare uel commemorare) omnium quattuor librorum commune est: I 11, 12 *apud Catonem bene scriptum* r e f e r t *antiquitas* || II 14, pr. *Paulus suis libris* r e f e r t || IV 3, 1 *Aelius* . . . r e f e r t || 13, 6 *haec exempli causa* r e t t u l i s s e *sufficiet*. Sed sane mirum est, quod abhorret a forma *rettulimus* is qui librum IV composuit; in libro II autem consulto id ipsum ponitur: IV 10, 2 *primo libro* e x p o s i t u m *est* (= Gai inst. IV 85 r e t t u l i m u s) || 15, 5 *secundo libro* e x p o s u i m u s (= Gai inst. IV 153 r e t t u l i m u s); contra II 17, 4 *primo libro* r e t t u l i m u s (= Gai inst. II 145 r e l a t u m *est*).

d. Verbum *quaerere* (= interrogare) omnibus quattuor libris familiare est, veluti: I 10, pr.; 25, pr.; II 1, 25; 13, 7; 20, 32; 22, 1; III 1, 7; 2, 6; 8, 2; 11, 6; 24, 2; 25. 2; 25, 9; 26, 6; IV 1, 4; 6, 1; 6, 8; 6, 11. Sed ii, qui non ex iustis nuptiis editi sunt, in libro III (3, 7; 4, 3; 5. 4) *vulgo quaesiti* appellantur, in libro I (4, pr.) autem *vulgo concepti*; contra II 13, 4 *iustis nuptiis quaesiti* vocantur, qui III 6, 10 *ex iustis nuptiis procreati* et III 1, 2ᵃ *ex legitimis matrimoniis progeniti* audiunt.

§ 10.

Sequuntur ea verba, quae

1) in prioribus libris cum aliis praepositionibus coniunguntur atque in posterioribus;
2) in enuntiato primario ita ponuntur, ut enuntiatum secundarium, quod ex iis pendet, in altera Institutionum parte per *ut* cum subiunctivo efficiatur, in altera per *accusativum cum infinitivo.*

Ad 1. a. Verbum *abstinere* cum nudo ablativo coniungitur: I 10, 6 *quarundam nuptiis abstinere necesse est,* cfr. 10, 9 || II 1, 1 *dum tamen villis et monumentis et aedificiis abstineat* || I 10, 1 *quarundam nuptiis abstinendum est,* ubi Gai inst. I 58 praebent: *a quarundam nuptiis abstinere debemus.* Contra IV 2, 1 quidem idem ille ablativus nudus legitur *ut ex hac causa omni rapina homines abstineant*; at III 11, 5 *abstinuit se ab hereditate,* quamquam *ab* praepositione carent Dig. XXXX 5, 4, 1, unde totus ille locus fere ad verbum depromptus est.

b. Nec secus II 9, 1 legimus *quod ex patris occasione profectum est, ad eum revertitur* (Theoph. *ὅπερ ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς προφάσεως ἦλθεν*); IV 16, 3 autem *actionum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua ...* (Theoph. *ἐκ ... λαμβάνει τὴν πρόφασιν*).

c. Verbum *extendere* in priore Institutionum parte iungitur praepositioni *in* modo cum ablativo modo cum accusativo, in posteriore parte praepositioni *in* cum solo ablativo. Haec affero exempla: I 22, pr. *extendere in masculos* || 24, 2 *extenditur in heredes* || II 19, 6 *extendit in militibus*; contra III 27, 7 *extendi in omnibus legatis et fideicommissis.*

Ad 2. a. Verbum *cavere* sequitur *ut:* I 25, 13; 26, 9; II 6, pr.; III 3, 2; 7, 4; IV 11, 4. Contra cum accusativo cum infinitivo in priore Institutionum parte, non in posteriore coniungitur: II 6, 14 *cavetur eum ... posse repellere* || 20, 25 *legata repeti non posse ... cautum est.*

Cavetur vel *cautum est, ne* in sola priore Institutionum parte in usu est: II 17, 7 *divi Pertinacis oratione cautum*

est, ne alias tabulae . . . irritae f i a n t, *nisi* . . . ‖ 22, pr. *novissime lata est lex Falcidia, qua cavetur,* n e *plus legare* l i c e a t. Idem in posteriore Institutionum parte hoc modo exprimitur: III 2, 7 *sed . . . nostra constitutione* s a n x i m u s, *successionem . . .* n o n *esse eis denegandam* ‖ IV 2, 1 *melius divalibus constitutionibus pro hac parte* p r o s p e c t u m *est,* u t n e m i n i l i c e a t *vi rapere* ‖ IV 7, 7 *illud proprie servatur in eorum persona, quod senatusconsultum Macedonianum* p r o h i b u i t *mutuas pecunias dari eis qui in parentis erunt potestate* (i. e. quod senatusconsulto Macedoniano cautum est, ne mutuae pecuniae dentur eis etc.).

b. Ex verbo *constituere* suspensus est accusativus cum infinitivo: II 6, 12 *q u o d o b s e r v a r i nostra constitutio* c o n s t i t u i t ‖ 20, 36 *q u a e r e l i n q u u n t u r . . . n i h i l d i s t a r e a ceteris legatis* c o n s t i t u i m u s ‖ III 23, pr. *p e r f e c t a m e s s e e m p t i o n e m* c o n s t i t u i m u s; contra *ut* in solis prioribus libris: I 6, 2 *nostra constitutio* c o n s t i t u i t, u t . . . *libertas ei competere videatur,* cfr. II 6, pr.; 7, 1; 7, 3; 10, 3.

c. *Contingit,* quod identidem in Institutionibus legitur (II 7, 1; III 15, 4; 19, 4; 29, pr.; IV 3, 16), cum accusativo c. inf. coniungitur II 19, 6 *in tantum teneri, in quantum* v a l e r e b o n a *hereditatis* c o n t i n g i t; contra cum *ut* III 29, 2: *stipulatio, per quam* c o n t i n g i t, u t . . .

§ 11.

Nonnusquam eadem notio in altera parte Institutionum verbis simplicibus, in altera verbis compositis significatur:

1. *augere.* Legitur I 5, 3 *nostra pietas omnia* a u g e r e *desiderans,* cfr. II 7, 3; 20, 20. In III 7, 2 autem, quamquam apud Gaium (inst. III 42) *aucta sunt* traditum est, compositum *adaugere*[1] praetulit scriptor Byzantinus: *postea lege Papia* a d a u c t a *sunt iura patronorum.*

2. In libro II legimus (23, 12): *substantiam* a c c e p e r u n t (Theoph. τὴν ὑπόστασιν ἐδέξαντο); contra III 22, 1 *neque*

[1] Vide quae Woelfflinus de vulgari sermone latino exposuit in Philologi Gottingensis vol. XXXIV pag. 163.

scriptura neque praesentia omnimodo opus est, ut substantiam c a p i a t *obligatio* (Theoph. ἵνα σύστασιν δέξηται) || 27, pr. *substantiam* c a p i u n t, cfr. IV 6, 7; 6, 13; 13, 7 (= Gai inst. IV 118).

3. In libris I et II *coniungi* et *iungi* promiscue usurpantur, in reliquis unum *iungi:* I 10, 1 *iungi* || 10, 3 *coniungitur* || 10, 4 *iungi* || II 6, 13 *coniungi* || 10, 8 *iungi* || III 2, 1 *iuncti* || 3, pr. *iunguntur* || 5, 2 *iunguntur*.

§ 12.

Finem faciant ea verba, quae in altera utra Institutionum parte prorsus non leguntur, sed, cum utrique compositori eadem res verbo exprimenda esset, aut hic aut illic aliis verbis, quibus altera pars abstinuit, compensantur:

1. Legitur II 22, 3 *quarta pars . . . detrahi debet* (cfr. II 11, 4 *si quis . . . quaedam adiecit sive detraxit*) || 20, 9 *emerit proprietatem detracto usu fructu*; contra III 3, 5 *in quibusdam casibus tertiam partem ei abstrahentes.*

2. Verbum *accommodare* reformidat prior Institutionum pars. Cuius vicem verba *dare, praestare, tribuere* gerunt, ut docent haec exempla:

α) III 19, 14 *nobis placuit et huic perfectum robur accommodare.*
I 2, 7 *magistratus huic iuri auctoritatem dederunt* || II 23, 7 *praestare omnem auctoritatem . . .*

β) III 9, 8 *praetor . . . extraordinarium auxilium . . . accommodavit.*
II 19, 6 *praestitit hoc speciali beneficio* || 19, 6 *praestavit beneficium.*

γ) IV 6, 5 *quod genus actionis . . . praetor accommodat,* cfr. 6, 11; 7, 3. In libro I autem dicitur: I 24. 2 *subsidiaria actio datur in eos.*

δ) IV 14, 4 *exceptiones . . . accommodari solent* || 14, 4 *quaedam exceptiones non solent his accommodari.*

I 12, 6 *eadem iura praestantur parenti* ‖ 25, 6 *tribui excusationem* ‖ 11, 2 *iura . . . tributa sunt* ‖ 12, 6 *iura tribuuntur* ‖ II 13, pr. *praestabatur ius.*

3. Verbum *admittere* aut α) 'aditum alci. ad alqd. dare' aut β) 'concedere' vel 'permittere' aeque significat per quattuor Institutionum libros, veluti: ad α) I 25, 14 *a. ad tutelae munus* ‖ III 1, 12 *a. ad bona*, cfr. 4, pr.; 8, pr. ‖ III 2, 3 *a. ad hereditates*, cfr. 4, 3; 5, 5 ‖ III 2, 3 *a. ad bonorum possessionem* ‖ III 2, 3 *ita . . . admittuntur*, cfr. 2, 5; 2, 7; 9, 10; 11, 5 ‖ III 25, 2 *a. in societatem.* ad β) I 25, 10 *non esse autem admittendam excusationem eius* ‖ III 9, 4 *a. bonorum possessiones*, cfr. III 23, 2; IV 8, 7.

At qui iniuriam committit, is in sola posteriore parte dicitur iniuriam *admittere:* cfr. II 1, 16 *furtum committere*; contra IV 1, 11 *furtum admitti* | 4, 1 *admitti iniuriam* (cfr. 3, 4 *si id a milite . . . admissum est* | *si alius tale quid admisit* | *si is in alio loco . . . id admisit*). Neque fortuito in libro IV l. l. *admitti* exaratum esse ex eo sequitur, quod IV 1, 11, quo loco Gai institutiones (III 202) praebent *committeretur*, legitur: *ut furtum admitteretur.*

4. Locutio *admonendi sumus* in libris I et II[1] deest, in III et IV autem eo saepius legitur: III 1, 13 *admonendi tamen sumus eos, qui . . ., alia tamen parte vocari* (Theoph. μεμνῆσθαι ἡμᾶς χρή), cfr. 5, 5; 6, pr.; 8, pr.; IV 7, 8; 12, 2; 16, pr. In libris I et II locum illius locutionis occupat: I 12, 9 *scire oportet* ‖ 14, 1; 24, 2; 26, 12: *sciendum est* ‖ II 6, 10; 7, 2; 10, 1; 11, 6; 19, 6; 23, 1: *sciendum est.* Nec fefellisse me opinionem, cum sententiam in verbis *admonendi sumus* latentem non distare ab ea quae inest in *sciendum est* iudicarem, elucet ex talibus locis quales sunt III 6, pr., ubi ea quae Theophilo vulgo tribuitur paraphrasis illud reddit per εἰδέναι χρή; 8, pr. οἶδας ὅτι . . .; IV 7, 8 ὀφείλομεν εἰδέναι. *Sciendum est* autem ne a posteriore

[1] Quod legitur II 8, 2 *nunc admonendi sumus neque pupillum etc.* ex Gai inst. II 80 depromptum correctoris Byzantini oculos effugit.

quidem Institutionum parte alienum est, sed legitur III 4, 2; 4, 3; 20, 8; IV 4, 10; 9, 1.

5. Verbum *amplecti* desideratur in libris I et II, legitur autem in libris III et IV quater: IV 11 pr. *satisdationum alium modum novitas per usum amplexa est*, cfr. I 2, 9 *ex non scripto ius venit quod usus comprobavit* || III 1, 2ª *eos quos nostrae amplexae sunt constitutiones*, cfr. II 6, 14 *haec statuit quae in fiscalibus alienationibus praefatae Zenonianae constitutionis continentur* et 18, 6 *aliis modis qui constitutionibus continentur* || III 2, pr. *ut successionem quoquo modo amplectatur*; pro quo compositor prioris partis, quippe qui II 9, 4 dixerit *si quam possessionem . . . adepti fuerint*, nescio an *adipiscatur* scripturus fuerit, cfr. Cod. II 52, 5, 3 *cum vero maior successionem fuerit adeptus minoris.* Praeterea reperitur verbum *amplecti* III 2, 3ª *simplicitatem legibus amicam amplexa.*

6. Quod legimus IV 16, 1 *quod alia nostra constitutione comprehensum est* || III 9, 8 *quibus ut detur, lege comprehensum est,* eo verbo carent priores libri, ubi eodem modo usurpatur: II 8, 2 *hoc evidentissima ratione statutum est in constitutione.*

7. Legitur I 12, 6 *fictione pristina explosa* || II 23, 7 *exploso senatusconsulto Pegasiano*; contra III 7, 4 *legem Iuniam et senatusconsultum Largianum et edictum divi Traiani deleri censuimus* || 12, 1 *senatusconsultum Claudianum, quod a nostra civitate deleri concessimus.*

8. Item discrepant I 2, 10 *origo eius ab institutis duarum civitatium fluxisse videtur* et IV 6, 24 *ex qua dubio procul est ex lege condicticiam emanare.*

9. Nec secus II 7, 4 *humanioribus dominis damnum inferri* et IV 8, pr. *si . . . damnum dederint* (cfr. IV 3, 16 *si damnum dederit* = Gai inst. III 219). Verbum *inferre* tamen non inauditum est in posteriore Institutionum parte, sed cum his consociatur substantivis: III 3, 4 *mortem matribus illatam* || IV 11, 3 *lis infertur . . . litem inferunt.*

10. Verbi *ostendere* usus intra librorum III et IV fines

continetur: III 6, 7 *hactenus ostendisse sufficiet* || 9, 5 *eam . . . supervacuam ostendimus* || 9, 12 *si indicium ostenderit* || 11. 4 *tunc constitutioni locum esse verba ostendunt* || IV 6, 3 *necessarium est exemplis ostendere* || 7, pr. *separatim ostendimus.* Illius vice funguntur in libris I et II haec verba, quae in posterioribus non extant: I 25, 6 *si quis imparem se oneri iniuncto possit docere* || II 7, 2 *cum donator . . . voluntatem manifestaverit* || 23, 12 *neque ex scriptura neque ex quinque testium numero res possit manifestari.*

11. Verbum *periclitari* semel legitur IV 6, 35: *si quis aliud pro alio intenderit, nihil eum periclitari placet* (Theoph. *οὐκ ἔσται αὐτῷ τὸ πταῖσμα ἐπιζήμιον*); cfr. IV 6, 34 *sine periculo agit.* Contra II 16, 3: *ut timeret, ne filius . . . periculo insidiarum subiceretur* et eadem §: *quamvis hoc pupillo periculosum sit.*

12. *Polliceri,* quod verbum libri I et II ignorant, in reliquis non multo rarius quam *promittere* usurpatur:

III 1, 12; 5, 5; 9, 3; 9, 10; IV 7, 1: *pollicetur.*

III 5, 5 *promittit* || 9, 8 *promittitur* || 6, 10 *promittitur* || IV 2, 2 *promisit* || 11, 4 *promiserit* || 13, 1 *promisisti.*

I 21, pr. *promittant* || 25, 9 *promiserunt* || II 13, 7 *promittit.*

13. Verbum *reformare* proprium est solorum librorum I et II: I 12, 6 *nostra providentia hoc in melius per constitutionem reformavit* (Theoph. *γέγονε διάταξις . . ., ἥτις ἐπὶ τὸ βέλτιον ἤγαγε ταῦτα*) || II 20, 23 *ex constitutione nostra hoc in meliorem statum reformatum est* (Theoph. *διάταξις δὲ τοῦ θειοτάτου ἡμῶν βασιλέως καὶ τοῦτο μετήγαγεν ἐπὶ τὸ κάλλιον*). Fere idem significatur IV, 2, 1 hoc modo: *melius divalibus constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut . . .* (Theoph. *καλλίστη γέγονεν ἐκ τῶν θείων διατάξεων ἐπὶ τούτων φροντίς, ὥστε . . .*).

14. Quod verbum *referri* II 10, 2 *sed praedicta quidem nomina testamentorum ad ius civile referebantur,* idem

significat verbum *respicere* IV 4, 3 *quod aperte ad contumeliam domini r e s p i c i t.*

15. Varias circumferri de eadem re sententias ut indicaret, verbo *variare* usus est unus prioris partis compositor I 10 pr. *cumque super filio v a r i a b a t u r, nostra processit decisio* (Theoph. ἐπειδὴ οὖν πολλαὶ περὶ τούτων τῶν νομικῶν ἀμφιβολίαι γεγόνασι), verbo *dubitare* unus posteriorum librorum compositor: III 24, 3 *sed talis contractus quia inter veteres d u b i t a b a t u r et a quibusdam locatio, a quibusdam venditio existimabatur, lex Zenoniana lata est* | 28, 3 *sed si unius domini iussu servus fuerit stipulatus, licet antea d u b i t a b a t u r, tamen post nostram decisionem res expedita est.*

§ 13.

Quoniam singulis locutionibus examinatis demonstravimus libros I et II vix posse ab eodem scriptore compositos esse atque libros III et IV, nunc videamus, num universus orationis color idem doceat.

Atque ipse Huschke recte monuit exemplisque confirmavit (praef. pag. VIII sqq):

1. maiore simplicitate ac perspicuitate usum esse eum, qui posteriores libros composuisset, quam prioris partis scriptorem;

2. priorem solum tumidis verbis de se suisque meritis facere imperatorem praedicantem;

3. in utraque Institutionum parte lectores eorum admoneri, quae alibi dicta vel dicenda essent; sed haec omnia spectare dicta dicendave vel intra ipsos priores vel intra ipsos posteriores libros. Ad quae ipse hoc statim addam: Libro II ineunte breviter repetitur, qua de re in libro I actum sit. Idem fit ineunte libro IV, ubi respicitur argumentum libri III. Ineunte autem libro III nihil simile legitur. Itaque, quamquam etiam Gai Institutionum commentarius tertius sine ulla mentione eorum, quae antea tractata erant, incepisse videtur, veri non dissimile est, quo tempore Iustiniani Institutionum

liber III componeretur, librum II nondum absolutum fuisse aut eum, cui libri III et IV auctori debentur, non composuisse libros I et II. In illa autem quae Theophilo vulgo tribuitur paraphrasi graeca collectio eorum, quae in proxime antecedente libro (II) exposita sunt, libro III praefixa est: *Μετὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν κατ' εἶδος κτήσεων κ. τ. λ.*

4. familiare esse scriptori posterioris partis imperatorum nomina in adiectiva flectere. Eis exemplis, quae Huschke protulit, ego adiungo IV 4, 10 *Zenoniana constitutio.* Ceterum eadem consuetudo pertinet etiam ad consulum nomina, veluti: III 7, 4 *senatusconsultum Largianum* (cfr. Gai inst III 63 *Lupo et Largo cos. senatus censuit*) || 29, 2 *stipulatio Aquiliana* (cfr. Dig. XXXXVI 4. 18, 1 (Florentinus) *stipulatio . . . a Gallo Aquilio talis exposita est*).

His, quae Huschke indicavit, ipse nova addo haec:

1. Ad ea, quae de iure exponuntur, illustranda in libris I et II exempla ex historia deprompta legimus. Ita commemorantur *Athenienses, Solo, Draco, Lacedaemonii* I 2, 2 et 10; *Augustus, Tiberius, Germanicus,* ubi de adoptione agitur. I 11, 11; *Tiberius Caesar* eiusque servus *Parthenius* II 15, 4. In libris III et IV frustra talia quaeras.

2. Nec dissimiliter in prioribus libris saepius poetarum, scriptorum, pictorum nomina citantur: *Homeri* I 2. 2; II 7, 1 || *Vergilii* I 2, 2 || *Catonis* I 11, 12 || *Apellis* et *Parrhasii* II 1, 34. In posterioribus libris bis *Homerus*, alii poetae nusquam commemorantur; ac ne ille quidem alia de causa quam quod in scriptorum locis, quos compositor exscripsit, citatus erat: III 23, 2 = Gai inst. III 141; IV 3, 1 = Dig. XXXII 65, 4 (ex Marciani Institutionibus).

Iis, quae modo collegi, adducimur, ut putemus eum qui composuerit libros I et II operam dedisse, ut liberalibus artibus se eruditum esse demonstraret. Cui studio doctrinam ostentandi illud respondet, quod librorum I et II compositor saepe, quae senserint a) antiquiores iureconsulti, ex optimorum iureconsultorum libris congessit. Idem in posterioribus libris b) multo rarius fit idque tum, cum de controversia aliqua agitur; alias simpliciter ipsa verba nomine iurecon-

sulti antiquioris. cuius ex libro profluxerunt, non addito afferuntur c).

ad a): I 4, pr. *et Marcellus probat* || 10, 9 *sed Iulianus ait* || 25, 2 *ut Papinianus responsorum libro quinto scripsit*, cfr. 25, 16; 26, 5; 26, 7; II 1, 38 *ut et Iuliano visum est* || 5, 5 *secundum Marcelli sententiam*, cfr. 6, 9; 10, 5; 14, pr.; 20, 12; 20, 14; 20, 16. 18. 20. 36; 23, 7.

ad b): III 25, 2 *Quintus Mucius existimavit ... Servius Sulpicius contra sentit ... et adeo contra Quinti Mucii sententiam praevaluit* || 8, 2 *unde quaerebatur, num ... sed placuit evanescere, quod et Iuliano et aliis plerisque visum est* || 23, 2 *valde quaerebatur ... Sabinus et Cassius putant ... diversae scholae auctores contra sentiebant ... sed Proculi sententia praevaluit* || 26, 6 *adeo haec ita sunt, ut quaesitum sit an ... sed optinuit Sabini sententia* || 26, 8 *Sabino et Cassio placuit ... diversae scholae auctores existimant.*

ad c): III 18, pr. ... § 4 ex Pomponii lib. 26 ad Sabinum (Dig. XXXXV 1, 5, pr.) || 19, 26 ex Pomponii lib. 27 ad Sabinum (Dig. XXXXV 1, 42) || IV 6, pr. ex Celsi lib. 3 dig. (Dig. XXXXIV 7, 51) etc.

Sed ne cumulatis exemplis in immensum diffundi videatur haec quaestio, hic subsistendum esse censeo. Itaque cum probaverimus non solum usum loquendi priorum et posteriorum librorum diversum esse, sed etiam nova ad hanc differentiam fulciendam argumenta proferri posse, inde colligendum arbitror non unum eundemque omnes quattuor libros composuisse, sed alteri duos priores, alteri duos posteriores attribuendos esse. Rectissime igitur Huschke suam opinionem hominum doctorum iudicio proposuisse videtur. Idem vir doctissimus quaestionem, uter priorem, uter posteriorem partem conscripserit, probabiliter ita solvit, ut pag. IX praef. ex eo, quod Tribonianus inducitur nulla necessitate cogente (I 5, 3; II 8, 2; 23, 12) et merita eius a compositore priorum librorum extolluntur, colligat *nobile Constantinopolitani et iam aetate provectioris magistri* (i. e. Theophili) *in-*

genium nisi quid ipsa res mandata postularet spectasse, contra provincialem (i. e. Dorotheum) *gratia Triboniani in urbem regiam ad hoc opus accitum, quid sibi inde effici possit, sollicitum fuisse.* Deinde Huschke (pag. XI praef.) propius ad ea argumenta accedit, quibus Theophilum priorum duorum librorum auctorem non fuisse probet. Atque quamvis non defuturi sint quibus Huschke nimiam fidem codicibus paraphrasis graecae tribuisse videatur, qui codices ipsi Theophilo paraphrasin adscribunt, tamen, cum docuerit Huschke exemplisque illustraverit complures paraphrasis graecae locos demonstrare, auctorem paraphrasis in prioribus libris quaedam ibi dicta non probasse et correxisse, in aliis ibi tractatis minus versatum fuisse, adeo ut nonnulla contra Latini auctoris mentem caperet et verteret, quorum omnium in posteriorum librorum paraphrasi graeca nihil occurrere: veri admodum simile est Dorotheum quidem libros I et II, Theophilum autem libros III et IV composuisse.

§ 14.

De Institutionum Iustinani tituli ultimi (IV 18) compositione.

Quod Huschke suspicatus est libri IV titulum ultimum (IV 18) non a Theophilo sed a Dorotheo adiectum esse tamquam supplementum ad Institutionum corpus libri IV titulo XVII terminatum[1], id idoneis argumentis ex usu

[1] cfr. Huschkii praef. pag. VII: „hoc statim adiungimus . . . duos libros . . . posteriores a Theophilo Constantinopolitano conceptos esse, excepto fortasse libri quarti titulo ultimo *de publicis iudiciis*, quem collato antecedentis (IV 17) pr. *Superest, ut de officio iudicis dispiciamus,* postea demum, exemplo, puto, Marciani institutionum, eoque consilio, ut Institutiones verius *totius legitimae scientiae elementa* Digestorumque medulla dici possent, adiectum esse, tanto maiorem habet veri speciem, quod is et a priscis institutionibus et ab illa, quae initio placuerat, totius operis distributione I 1, 12 *Omne ius, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res vel ad actiones*, collato IV 18, pr. *publica iudicia neque per actiones ordinantur* ... prorsus alienus erat. Rursus autem in fine additus hic titulus . . . in causa fuisse

loquendi derivatis demonstrare licet. Ex his exemplis efficitur:

1. consentire dictionem libri IV tituli XVIII cum dictione librorum I et II ita, ut differat a librorum III et IV 1—17 consuetudine, cfr.:

a) IV 18, 3 *lex ... in eos suum vigorem extendit* Legitur I 22, pr. *extendere in masculos* || 24, 2 *actio extenditur in heredes*; in III 27, 7 autem *extendi in omnibus legatis et fideicommissis*.

b) IV 18, 8 *qui vim commiserint*. Legitur II 1, 16 *furtum committere*; contra IV 1, 11 *furtum admitti* || 4, 1 *admitti iniuriam* (cfr. 3, 4 *si id a milite ... admissum est*). Neque fortuito in libro IV 1. 1. *admitti* usurpari ex eo sequitur, ut supra (pag. 36 huius commentationis) dixi, quod IV 1, 11, quo loco Gaius (III 202) dederat *committeretur*, legitur *ut furtum admitteretur*.

c) IV 18, 8 *ex qua haec apertius possibile est scire*. Legitur II 20, 2 *cuius constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissime accipere possibile est*; contra III 29, 3ª *quas licet ex ipsius lectione apertius cognoscere* || IV 14, 3 *quas omnes apertius ex latiore Digestorum volumine facile est cognoscere*.

2. consentire dictionem libri IV tituli XVIII cum dictione librorum I et II, ita tamen, ut quomodo is qui libros III et IV composuit eandem sententiam exprimere solitus sit, demonstrari non possit: IV 18, 2 *iudicia, quae ultimo supplicio adficiunt vel aquae et ignis interdictione vel deportatione vel metallo*; cfr. I 6, 1: *ne iniuria defunctus adficiatur*.

---

videtur, ut deinde, semoto iam ab opere Theophilo, etiam initio ille *de iustitia et iure* ex Ulpiani institutionibus praeficeretur, in quo quod ab illo alia ratione dictum erat: *huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum*, speciem quandam praestabat, etiam in Institutionibus sicut in Digestis (XXXXVIII 1) post absolutum ius privatum adiectum titulum de publicis iudiciis non praeter institutum, sed secundum primam operis informationem ibi positum esse. Et sane alia quoque sunt, quae utrumque titulum ab eodem profectum esse verisimile reddant, velut illa de studiorum ordine I 1, 2 dicta, quae videntur ad ultimi tituli verba finalia (IV 18, 12) fore accommodata“.

3. discrepare dictionem libri IV tituli XVIII a dictione librorum III et IV 1—17, ita tamen, ut nesciamus, num is, qui libros I et II composuit, eandem sententiam isdem quibus titulus IV 18 verbis exprimere solitus sit:

a) IV 18, 8 *qui opem flagitio dederunt* ‖ 18. 9 *qui ministerium eis ad hoc adhibuerunt.* Habemus autem IV 1, 11 *qui nullam operam ad furtum faciendum adhibuit.*

b) IV 18, 9 *qui . . . publicas pecunias subtraxerunt*; cfr. IV 1, 12 *qui in parentium vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiant.* Verbum *subtrahere* autem in III 1. 2 ª, quo uno loco posterioris Institutionum partis legitur, prorsus alio modo usurpatur: *etiamsi . . . nati ab hac luce subtracti fuerint.*

4. uno tantum exemplo consentire dictionem tituli IV 18 cum libris III et IV 1—17 ita, ut differat a librorum I et II consuetudine: IV 18, 12 *alioquin diligentior eorum scientia vobis ex latioribus digestorum sive pandectarum libris deo propitio adventura est.*

Iam pag. 15 demonstravi adiectivum *latus* in libris I et II omnino non legi, eo saepius autem in libris III et IV: III 12, pr. *ex latióribus digestorum libris,* cfr. IV 6, 2; 6, 5; 6, 37; 13, 6; 14, 3.

Itaque cum Huschkianae coniecturae hic unus quem ultimum feci locus repugnet, non improbabiliter conicere mihi videor post absolutum Institutionum corpus, quod libris I. II. III. IV 1—17 efficiebatur, Tribonianum Dorotheo mandasse, ut titulum IV 18 supplementi loco componeret, Tribonianum autem ipsum, cum Dorothei schedas perlegeret corrigeretque, adiectivum *latioribus* addidisse. Quamquam alias nec paucas vias ad leviculam hanc differentiam, quae inter dictionem tituli IV 18 et dictionem librorum I et II intercedit, explicandam patere consentaneum est.

APPENDIX

ad

§ 8 *(supra pag. 23—29).*

Ad ea, quae supra de coniunctionum usu congessi, *IOANNES KROMAYER*, qui Sex. Pomponii iureconsulti usum loquendi accurate perscrutatus est, haec adnotavit et ut publici iuris facerem permisit:

„*SEX. POMPONIUS scripsit:*

(ad § 8, 2) *donec* sexies; atque quinquies quidem = 'usque ad id tempus quo' (bis ita ut *usque eo* praecedat), semel vero = 'per id tempus quo'; ubique sequitur subiunctivus modus.

(ad § 8, 3) *si modo* bis, *si tamen* quinquies, *dummodo* semel, *dum tamen* semel.

(ad § 8, 4) *nisi* (ubi verbum finitum ab eo pendet) vicies ter, *nisi si* septies, *praeterquam si* semel.

(ad § 8, 6) *prout* quater; nec *quomodo* nec *quemadmodum* vices vocabuli *prout* agunt.

(ad § 8, 7) *sicut . . . ita* quater, *sicut . . . sic* nusquam, *ita . . . atque si* semel, *sic . . . atque si* ne semel quidem, *quemadmodum . . . ita* quater, *quemadmodum . . . sic* semel.

(ad § 8, 9) *non solum . . . sed etiam* quinquies, *non solum . . . sed et* quinquies, *non solum . . . sed . . . quoque* semel, *non solum . . . sed* semel, *non tantum . . . sed etiam* bis, *non tantum . . . sed et* semel. *non solum . . . verum . . . quoque* semel, *non solum . . . verum etiam* ne semel quidem.

(ad § 8, 11) *namque* ter.

(ad § 8, 12) *utpote* quinquies aut cum participio aut cum coniunctione *cum* consociatum.

(ad § 8, 14) *ne . . . quidem* bis, *ne quidem* nusquam, *nec . . . quidem* quater, *ac ne . . . quidem* semel."